BIBLIORUM

CODEX SINAITICUS.

VOLUMEN PRIMUM.

PROLEGOMENA. COMMENTARIUS. TABULAE.

Vol 1

BIBLIORUM

CODEX SINAITICUS PETROPOLITANUS.

AUSPICIIS AUGUSTISSIMIS IMPERATORIS

ALEXANDRI II.

EX TENEBRIS PROTRAXIT IN EUROPAM TRANSTULIT

AD IUVANDAS ATQUE ILLUSTRANDAS SACRAS LITTERAS

EDIDIT

CONSTANTINUS TISCHENDORF.

PETROPOLI

MDCCCLXII.

AUGUSTISSIMO POTENTISSIMO CLEMENTISSIMO

DOMINO AC PRINCIPI

ALEXANDRO II.

IMPERATORI OMNIUM RUSSORUM

ETC. ETC. ETC.

Qua ante tres annos hunc litterarum sacrarum thesaurum auspiciis TUIS mea opera ex orientis latebris in Europam studiorum altricem perferri voluit, eadem benignitate Deus, qua est gratia erga nos, etiam hoc dedit ut, labore multorum annorum intra triennium absoluto, eundem librum typis lapidibusque accurate exscriptum multisque modis enucleatum hodie in TUAS manus tradere possem. Quod dum summa cum reverentia facio, vehementer illud animum delectat, quam maxima cum fiducia praedicaveram codicis praestantiam accuratiore pervestigatione egregie confirmatam esse. Praeter monumenta enim generis istiusmodi omnia luculenta indicia veterrimae nobilitatis habet. Ipsi remotissimae antiquitatis viri, venerabiles quum orientis tum occidentis patres surgunt testes, suae aetatis homines arcana sanctarum litterarum ex voluminibus hausisse huius simillimis.

Hic igitur liber, primorum qui Christo nomen dederunt imperatorum aequalis, quasi in sacro recessu in radicibus montis illius repositus erat, in quo olim Dei gloria Mosi affulsit et lex divina divinitus promulgata est. Delituerat ibi per tot saecula, ut refulgens nuper ad TE perveniret atque ex TUIS manibus in totum orbem Christianum exiret, novum huic generi lumen praeferens, antiquae veritatis nuntius.

Nuntiat autem simul illud, AUGUSTISSIMAM DOMUM TUAM pietatem ab avis acceptam pariter atque litteras artesque fovere. Christo enim et litteris ipsa natura sua hoc opus sacrum est. Hinc et qui Christo et qui litteris se addixerunt cuncti munificentiam TUAM praedicant. Quorum nomine mihi primo contigit ut gratissimos animi sensus TIBI testificari possem.

Meo vero ipsius nomine TIBI, AUGUSTISSIME IMPERATOR, maximas gratias propterea ago, quod tantum opus tanto cum favore tantaque cum fiducia mihi mandasti. Cui mandato satisfacturi id adnisi sumus, ut tale ex manibus nostris prodiret opus, cuius in fronte iure inscriberemus:

CHRISTO ET LITTERIS.

Scribebam Lipsiae die $\frac{\text{30. Aug}}{\text{11. Sept}}$ anni salutis 1862.

PROLEGOMENA

CUM

COMMENTARIO.

Quod anno 1859 prima inter gaudia inventi recuperatique thesauri Sinaitici animum induxi, quantum in me esset operam dare, ut iam tres post annos tam singularis ille veritatis divinae testis in lucem prodiret,[1] id feliciter exsequi contigit. Contigit autem non modo praeter spem omnium eorum, qui quale opus esset ne dicam cognoverunt certe senserunt, sed nec ipse talem spem movere ausus essem, si ab initio quid laboris mihi subeundum esset accuratius scire potuissem. Non enim satis habebam, ut primum mihi cum eo convenerat qui imperatoris nomine editionis instituendae mecum consilia iniit, codicem Sinaiticum ad exemplum Monumentorum meorum sacrorum atque codicis Alexandrini Baberiani edere, neque magis, quo modo novos typos ad maiorem scriptorum similitudinem perductum iri iam in Notitia editionis codicis susceptae significavi,[2] formas alphabetorum uncialium ita auxisse ut etiam minutiorum litterarum et pressius coniunctarum haberetur ratio, sed quum opere incepto viderem non minimam editionis a libro scripto differentiam remansisse spatiorum ratione quae inter singulas litteras et magna quidem cum varietate intercedunt, illud etiam discrimen exaequare placuit. Exaequandum autem ita erat, ut singulis litteris typorum ope expressis lineae aeneae interponerentur prout postulabant scriptorum intervalla. Quae res ut plane nova, ita immensi negotii erat. Toto enim singularum litterarum examine repetendo spatia metienda erant, atque computandum quem quodvis linearum numerum efficeret. Quo modo factum est ut plura linearum diversarum centena milia in solo Novi Testamenti corpore textui inserenda essent. Accessit aliud quo labor praeter opinionem auctus est. Non enim, ut olim videbatur,[3] octo milia locorum manus correctorum subierunt, sed paene duplex eorum numerus inventus est. Loci vero posterioribus curis vario modo mutati, membranis vetustate et usu saepe detritis, inprimis valebant ad hebetandos oculos mentemque defatigandam. Deinde labores photographici et lithographici parandis tabulis una et viginti multo plus mihi curae facessivere quam exspectaveram, praesertim quum ab arte photographica non tantum quantum promissum fuerat peti posset subsidii atque magna tabularum pars paranda esset Lipsiae. Denique erat cur ipsum iter illud, cui litterae tantum successum debent, singulari libro, qui proxime prodiit, describeretur.

Nihilominus Dei beneficio desiderii ardentissimi compotes facti sumus, et iam nunc senex ille venerabilis mille quingentorum annorum prodit victoris instar lauro vel, ut rectius dicam, corona vitae redimitus; surrexit e sepulchro ut huius aetatis hominibus, quotquot aeternae salutis verbum adpetunt atque curant, disertissimus sit antiquae veritatis testis. Imperatoris celsissimi et munificentissimi mandatis copiisque instructi ipsi nec operae ulli nec ulli rei pepercimus ut, quantum per temporis angustias licebat, tale exigeretur monumentum, quod ab intellegentia subtili studiorumque diligentia pariter laudem haberet atque ab artis ornamento, et quod aequalibus posterisque testaretur hanc editionem eo consilio paratam esse, ut et summo principe, cuius auspiciis prodiit, dignum haberetur et litterarum commodis plane conveniret. Nimirum tum demum nobis ipsis satisfacturi videbamur, si quem Deus tam manifesta gratia sanctarum litterarum thesaurum his manibus commisit, eum quam accuratissime et luculentissime redditum e manibus emitteremus.

[1] „Im Vertrauen auf die dem Unternehmen zugewandte hohe kaiserliche Gunst glaube ich schon jetzt der gelehrten Welt die baldigste und des Objekts würdigste Veröffentlichung der Handschrift in Aussicht stellen zu dürfen. Die Vatikanische Handschrift kannte man seit drei Jahrhunderten, bevor vielgehegten Wünschen durch ihre Herausgabe genügt wurde. Vielleicht bedarfs statt jener Jahrhunderte nur eben so vieler Jahre, um die christliche Literatur mit der jetzt aufgefundenen, einer ihrer kostbarsten Urkunden zu bereichern". Vide Wissenschaftliche Beilage der Leipziger Zeitung, 1859. Nr. 31: „Ein Brief des Professor Dr. Tischendorf an den Staatsminister von Falkenstein".

[2] Vide Notitiam editionis codicis Sinaitici, Lipsiae 1860, pag. 8.

[3] Vide eandem Notitiam, pag. 6 et 9.

Quae dum scribimus, mentem subit recordatio verborum divi Pauli, quibus operum suorum laudem apud Corinthios dicentem se ipsum ἀφροσύνης accusat. Cuius et laudis et criminis suspicione quum vix careat oratio nostra, etsi quicquid successit τῷ ἐνεργοῦντι τὰ πάντα ἐν πᾶσιν soli et uni deberi toto pectore sentimus, negare non possumus quantopere cupiamus eventum iusta virorum doctorum exspectatione haud indignum inventum iri. Ut enim invidiosae hominum ingratorum libidini nos unquam satisfacturos dudum desperamus, ita intellegentibus probisque viris labores nostros probari nunquam non magnae laudi duximus. Atque quum ante hos quinque et viginti annos studiorum primitias ederemus easque ex sententia magistrorum venerabilium praemio regio ornatas,[1] non modo quod ipsum laetum hunc annum tali opere distinguere licebat in maxima vitae felicitate ponendum, verum etiam ad id incumbendum iudicavimus, ut quos in illo adornando posuimus labores integris artis criticae arbitris et magistris adprobarentur ac vero et ipsi palmam meruisse viderentur. Multo vero potius nobis est labores nostros utut imperfectos ei probari, quo summo auctore ac duce suscepti et absoluti sunt.

Iam vero quum de codice Sinaitico tum de editione nostra paullo accuratius est dicendum. Atque ipse quidem codex describendus erit antequam quanta cum similitudine editio exprimat videamus. Quum autem a duabus maxime rebus libri dignitas pendeat, ab antiquitate eius et ab indole textus quem refert, de utraque breviter disserendum erit. Quibus expositis commentandum erit de antiquis textus antiquissimi correctoribus; quam commentationem commentarius excipiet de omnibus iis locis quos correctores tractaverunt, additis aliis quae vel codicem vel editionem illustrant. Huic commentario accedent tabulae una et viginti, praepositis notis aliquot.

Ante haec vero quae proposuimus omnia par est paucis perscribere quae ad historiam quum codicis tum editionis pertinent.

I.

Quod in elaboranda prima Novi Testamenti editione rem librorum sacrorum criticam altius promovendi ceperam consilium quum obeundis bibliothecis quae Parisiis, quae in Anglia, in Hollandia, in Helvetia, in Italia vigent, ab auctumno anni 1840 per quadriennium fere executus essem, nihil magis desiderabam quam ipsum adire orientem, unde in Europae bibliothecas tot clara antiquitatis studiosae monumenta pervenerunt. Cui desiderio non sine singulari favore Friderici Augusti beati Saxoniae regis ita satisfactum est, ut maximam anni 1844 partem in perlustrandis terris orientis consumerem, in iis maxime ubi vetera monasteria habentur. Quod iter constat magnam inprimis laudem habuisse ab aliquot Graecis Veteris Testamenti fragmentis in patriam delatis, pietatis testificandae caussa nomine regii patroni mei insignitis, bibliothecae universitatis Lipsiensis traditis brevique post Lipsiae in publicum editis. Quum enim mense Maio anni 1844 in monasterio S. Catharinae ad montem Sinaiticum veteres libros scriptos investigando incidissem in sportam, in quam coniectae erant variorum codicum lacerorum perditorumque reliquiae, cuiusmodi plures iam furnus acceperat, detexi illa antiquissimi LXX interpretum codicis fragmenta. Quae quippe despecta et proxima exitio quum facile mihi cederentur, tamen non cessae sunt aliae eaeque ampliores eiusdem codicis partes ex eadem oblivione protractae, in quibus Esaias totus et Maccabaeorum libri cum aliis scripti erant. Has certe ut dignius conservarent suasi, sperans post de iis cedendis conventum iri. Quod quum praeter exspectationem non contigisset, secundo in orientem itinere anno 1853 quicquid eius textus antiquissimi supererat in futuram editionem accurate describere constitueram. At quum secundum visebam Sinai montem cum S. Catharinae monasterio, nec vidi quem adpetebam thesaurum, nec quo devenisset comperi. Hinc in Europam eum delatum neque amplius locum spei meae relictum esse

[1] Libro titulus est: Doctrina Pauli Apostoli de vi mortis Christi satisfactoria. Scripsit L. F. C. Tischendorf. Commentatio d. 31. m. Oct. a. 1836. a S. Venerando theologorum Lipsiensium ordine praemio regio ornata. Lipsiae 1837.

[2] Facere non potui quin hoc loco plura repeterem ex Notitia editionis codicis Sin., quae Lipsiae 1860 prodiit.

coniiciens, quum anno 1855 primum volumen Monumentorum sacrorum meorum edebam, textum extremae paginae vaticiniorum Esaiae, quem iam anno 1844 descripseram, una edendum curavi, monens ut codicem Friderico-Augustanum ita etiam reliqua eiusdem libri antiquissimi fragmenta, quoquo pervenerint, mea opera ab interitu esse vindicata.[1]

At longe aliud atque opinabar Deus providerat. Quum enim exeunte fere anno 1856, consentiente Paulo de Falkenstein, regi Saxoniae e summis rei publicae ministris, ut iam dudum apud me constitueram, litteris legato Imperiali Russico[2] Dresdae traditis proposuissem, ut mandatu imperatoris Alexandri II. in orientem proficiscerer antiquos codices quum Graecos tum orientales maximeque litterarum sacrarum investigandi acquirendique caussa: intercedentibus viris summis Abrahamo de Noroff et E. de Kowalevsky, item viro illustrissimo Theodoro de Grimm, olim Constantini fratris imperatoris tum Nicolai heredis regni educatore, commendante etiam academia scientiarum Imperali Petropolitana,[3] ipsa denique favente Maria imperatrice, qua est singulari animi generositate, celsissimus imperator, revera vir celsus et erectus, medio mense Septembri anni 1858 exsequi me iussit propositum. Urgebat autem tum septima Novi Testamenti mei editio, duobus ante annis suscepta. Qua ultimis diebus anni 1858 absoluta, primis anni 1859 diebus iter orientale ingressus sum. Ultimo die mensis Ianuarii tertium visi S. Catharinae monasterium, benevolentissime a fratribus Sinaitis exceptus, venerabili antistite id ipsum voti nuncupante, ut novas veritatis divinae columnas meis contingeret studiis inveniri. Die quarto mensis Februarii, quo iam unum e servis miseram ut arcesseret camelos, quibus die septimo in Aegyptum redirem, cum oeconomo monasterii inter ambulandum collocutus eram de interpretatione LXX virorum, cuius a me editae exemplaria aliquot pariter cum Novi Testamenti mei exemplaribus attuleram fratribus. Ex ambulatione reversi intravimus cubiculum oeconomi. Ibi ille se quoque exemplar LXX virorum habere dixit posuitque ante oculos pannum quo involutum erat. Aperui pannum et vidi quod ultra omnem spem erat. Erant enim codicis, quem antiquissimum omnium codicum Graecorum in membranis superstitum dudum declaraveram, reliquiae uberrimae, in quibus non modo quos anno 1844 e sporta protraxeram aliosque Veteris Testamenti libros sed etiam, quod longe gravissimum, Novum Testamentum totum ne minima quidem lacuna deformatum, auctum vero plena Barnabae epistula, ad quam prima Pastoris pars accedebat, superesse videbam. Quae res quantam in admirationem me coniecerit, dissimulare nequibam. Librum vel potius libri fragmenta — singula enim folia in plures partes dissoluta erant nec alio tegumento quam panno utebantur — consentiente oeconomo, qui ipse sumpserat ex cella scevophylacis, quae libros quum scriptos tum typis expressos eosque maiorem partem liturgicos cum varia supellectile liturgica continebat et iam brevi post iter meum orientale primum quicquid illorum fragmentorum supererat in unum collectum acceperat, in cubiculum meum transtuli. Ibi demum quantum thesaurum manibus tenerem prorsus intellexi, et Deo auctori tanti beneficii in ecclesiam, in litteras inque me ipsum collati laudes et grates egi. Ipsam primam noctem transcribendae Barnabae epistulae impendi; quippe dormire nefas videbatur. Postridie convenit

[1] Cf. Monum. sacr. ined. Nov. Collect. Vol. I. 1855. p. XXXX. „In priore meo itinere orientali in duas incidi reliquias eiusdem Vet. Test. codicis, quo dubito an quicquam in membranis Graece scriptum exstet antiquius. Alteras mihi contigit tam esse felici ut acquirerem: quas quum in patriam attulissem atque ut decus essent bibliothecae univ. Lips. convenisset, insignitas nomine clementissimi regis Friderici Augusti anno 1846 foras dedi. Alterae vero ut mihi cederentur frustra operam dedi; spe tamen fretus, fore ut brevi post de cedendis conveniretur, non descripsi nisi unam paginam. Ipsis membranis pretiosissimis quid postea factum sit, comperire non potui; sed dudum in Europam allatas credo. Meum vindico ab interitu eas retraxisse: inter abiectas enim variorum codicum reliquias quanti illae pretii essent significavi, atque ut melius ac dignius conservarentur auctor fui. Quum vero illorum fragmentorum — — nondum quicquam in lucem prolatum sit, meum esse officium putavi ut, quae pauca ex antiquissimo thesauro deprompta habeo, publici iuris facerem." Praeterea cf. quae iam anno 1850 de eadem re scripseram in Prolegomenis Vet. Test. tom. I. p. XXXVII. „Inveni equidem nuper in itineribus meis codicem Graecum alium pretiosissimum quarti ut videtur saeculi, in quo cum aliis etiam tres" (sed non sunt nisi primus et quartus) „Maccabaeorum libri continentur. Quem tantum thesaurum ut propediem ex diuturnis tenebris in lucem protrahere contingat omnem operam dabo."

[2] Erat tum Baro de Schroeder, cuius in locum paullo post successit princeps Alex. Wolkonsky. Horum uterque cum Barone de Kotzebue rem a me susceptam eximio studio prosecutus est.

[3] Cf. Bulletin de la classe des sciences historiques, philologiques et politiques de l'académie Impériale des sciences de S. Pétersbourg, Nr. 326. 327; tom. XIV. Nr. 14. 15. p. 239 sq. „M. Stephani s'exprime également avec les plus grands éloges sur la capacité et le mérite de M. Tischendorf. Il désire donc, et ses deux collègues (MM. Dorn et Brosset) partagent son avis, que le savant saxon puisse être mis à même d'exécuter le voyage" etc.

cum fratribus, ut accepto mandato superiorum Cahirae sedentium codicem transcribendi caussa ad me Cahiram mitterent. Profectus igitur statuto die, non sine litteris officiosis Cyrilli monachi docti supra bibliothecam constituti, iam die tertio decimo mensis Februarii adveni Cahiram, ubi reduci, favente inprimis Agathangelo venerabili coenobii magistro, res tantopere cessit ut, quod vix credibile videbitur, nuntio intra novem dies deserta Aegyptiacum et Arabicum bis emenso, die vicesimo quarto eiusdem mensis membranas antiquissimas ex manibus sumerem superiorum. Ut erat constitutum, sine mora suscepta est totius textus antiquissimi transcriptio atque laboris sociis adsumptis duobus popularibus, altero medicinae doctore, altero medicamentario, intra duo menses absoluta. Quamvis autem quae vel socii pro viribus descripserant vel ipse mea manu transcripseram rursus ad litteram recognoscerem, probe sensi rationem antiquorum correctorum vehementer esse impeditam novaque opus esse retractatione ut accuratam codicis editionem confidenter aggredi possem.

Interea vero venerandis fratribus Sinaitis auctor fui ut ipsum codicem singularis pietatis significandae caussa offerrent per me imperatori Alexandro II., tanto fidei orthodoxae decori ac praesidio. Id quod illi ex animo comprobarunt. Quum vero defuncto Constantio archiepiscopo, quondam et ipso patriarcha, non esset totius Sinaitarum collegii princeps, summam rerum eius curam gerens, atque qui illo ipso tempore electione fratrum unanimi in defuncti locum suffectus erat, vir multis laudibus conspicuus, nondum esset solemniter consecratus, adversante qui auctoritatem sibi sumpserat, consensit venerabile collegium, ut editionis parandae caussa textus accuratissimae, id quod vel maxime urgebam, codicem Petropolin deferrem, utpote datum ad tempus donec in perpetuum datum esse archiepiscopus collegii nomine significaret. Quo ex pacto traditus mihi est codex Cahirae die 28. mensis Septembris anni 1859.[1] Cuius rei gratam recolendo memoriam non tantum quam benevolo ac fidenti in me animo fratres reverendi fuerint praedicandum habeo, sed etiam quanta animi ingenuitate quanta liberalitate litteris Christianis prodesse illi studuerint.

Sed antequam ad tam prosperum itineris exitum pervenirem, per plures menses viseram Palaestinam, maxime Hierosolyma cum iis quae adiacent, Berytum, Laodiceam, Smyrnam, insulam Patmi, Constantinopolin: neque his locis defuit quod faceret ad propositum meum.[2] Singulare itineri isti decus accessit inde quod contigit ut ipsam urbem sanctam simul cum magno duce Constantino ingrederer. Hunc principem intellegentissimum magnoque animo praeditum insigniter studia mea fovisse et inter primos fuisse qui detectum codicem Sinaiticum litterisque destinatum laetaretur mecum, hoc loco non est silentio praetereundum.

Praeterea optime de me promeruit Alex. Lobanow princeps, imperatoris Alexandri II. apud Turcarum imperatorem legatus, vir pari animi ac generis nobilitate. Apud quem quum exeunte mense Augusto ad ripas Bospori liberali hospitio exceptus commorabar, aliquando ille attulit librum Russice scriptum, in quo codicis Sinaitici a me tantopere laudati notitiam se invenisse dicebat. Liber erat Porphyrii archimandritae Russici, Petropoli anno 1856 editus, in quo ille de itineribus annis 1845 et 1850 per orientem inque primis ad Sinai montem factis exponit. Locum quo agit de bibliis Sinaiticis Lobanow princeps accurate interpretando mecum communicavit. Inde intellexi, anno postquam ipse Veteris Testamenti fragmenta inveneram magnique faciunda significaveram, eadem in monasterio S. Catharinae vidisse Porphyrium, et quidem iis iam aucta partibus quae antea latuerant, sed quas eiusdem membra corporis esse primo obtutu apparebat. Licet autem ille per totum librum suum multis modis virum se doctissimum peritissimumque probaverit neque codicem rem pretiosam esse ignoraverit, tamen quae de scriptura notavit, de aetate, de textu, in errore versantur pleraque,[3] neque magis sensit, ut de reliquis taceam, quantum litteris Christianis incrementum adlatura

[1] Multo uberius de invento codice deque his Sinaitarum rebus expositum est in libro quem hoc ipso anno Lipsiae edidi inscriptum: Aus dem heiligen Lande. Conferendae ibi sunt sectiones inprimis quattuor, quarum inscripsimus nonam: Der Bibelfund; decimam: Kairiner Verhandlungen und Arbeiten; quintam decimam: Verlauf der Kairiner Verhandlungen; vicesimam quintam: Das erreichte Ziel.

[2] Relatum est de codicibus Graecis, Syriacis, Copticis, Arabicis, Hebraicis, Samaritanis, Abyssinicis, Armeniacis, Slavonicis similibusque monumentis ex oriente mea opera Petropolin perlatis in appendice Notitiae editionis codicis bibliorum Sinaitici, inde a pag. 47 usque 73.

[3] Refert Porphyrius (tom. 1. p. 225 sqq.) litteras codicis simillimas esse Slavonicis, item rationem scripturae esse stichometricam; quae quidem quum ab Euthalio circa annum 446 inventa sit nec diu in scribendis codicibus obtinuerit, codicem scriptum videri quinto saeculo. Tum librorum singulorum

essent sola folia extrema quattuordecim, quibus tota Barnabae epistula cum Pastoris fragmentis continetur. Quae quidem ut notanda sunt, ita non possumus non gaudere quod doctus archimandrita eiusdem gentis, ad quam tantus rei Christianae thesaurus nostra opera pervenit primus de eo et quidem patrio sermone suo commentatus est.[1]

Relicta Aegypto medio mense Octobri ineunte mense Novembri Petropolin veni. Ibi ipse imperator cum augustissima coniuge dignatus est non modo oculis perlustrare sed etiam studiose cognoscere quae summo eius mandatu ex oriente attuleram antiqua litterarum monumenta. Quibus tantopere est delectatus, ut etiam in communem fructum ea propalam collocari iuberet. Collocata favente Modesto de Korff viro summo in bibliotheca Imperiali publica duas per hebdomades honorifice excepta sunt splendidissimorum hominum concursu. Qui vero prae ceteris omnibus eminebat, codicem bibliorum Sinaiticum ut quam primum et quam convenientissime edendum curarem placuit, ut ne diutius litteris atque ecclesiae deesset talis sanctarum litterarum custos apostolicarum, quem longe plerisque tantae antiquitatis libris singularis Dei gratia superstitem esse voluit. Reputanti igitur mecum quem potissimum editionis modum proponerem tria maxime observanda erant. Quum enim ita edendus ille videbatur, ut quam accuratissime repraesentaretur scriptura antiqua, tum ut viro cuius summa mandata exsequebar dignus prodiret, denique ut exspectationi omnium strenuis circa sacrum textum studiis deditorum quam maturissime satisfieret. Re diligenter perpensa tres potissimum modos proponendos existimavi inque manus tradidi viri summi E. de Kowalevsky, cordati litterarum bonarum patroni. Cuius commendatione ductus imperator eum modum ratum habuit, qui mihi ipsi maxime probatus medium quiddam inter duos reliquos tenebat.

Labores igitur nostri in parando opere potissimum hi fuerunt. Exeunte mense Decembri Petropoli domum rediens, nullam mihi moram fore ratus dimidiam codicis Sinaitici partem mecum attuli Lipsiam, ut ad normam litterarum antiqua manu scriptarum singulos typos faciundos curarem. Quam ad rem aptissimae ex universo codice formae deligendae erant, neque quicquam comprobavi nisi quod ad peculiarem codicis scripturam proxime accederet. Alphabetum autem duplex in aes incisum est, alterum - ΑΒΓΔΕΖΗΘΜ et ΠΚ etc. - ad textum quem dicunt exprimendum, alterum - ΑΒΓΔΕΖΗΘΜ et ΠΚ etc. - ad exprimendas notas, nisi quod posterius etiam ad minutas formas exeuntibus versibus adhibitas volebam respondere. Quas ad formas aliae aliquot etiam minutiores vel minutissimae - [illegible] - ex usu auctorum codicis accedebant. Et

ordinem indicat. Psalmorum textum notat frequenter distingui voce *διαψαλμα* rubro adpicta et psalmum secundum cum primo coniunctum esse, inprimisque delectatur notis textui cantici canticorum interiectis, quibus ipsum ad colloquii similitudinem accedat. Dialectum libri propriam dicit servata *μ* littera in formis *λημψομαι* et similibus, item retento ante consonam *ν ἐφελκ.* Novi Testamenti textum e singulari quadam editione sive hominis privati sive scholae Alexandrinae catecheticae petitum putat, sed eadem qua scriptus esset aetate correctum ad exemplar textus in omnibus ecclesiis recepti. Propter quam ipsam collationem codicem permagni faciundum dicit, utpote antiquissimum in ecclesia testem, textum sacrum quemadmodum etiamnum ecclesia adhibeat semper eundem fuisse. Haec igitur Porphyrius, nec imperite. Quam vero litterarum codicis Sinaitici cum Slavonicis similitudinem praedicat, ea aliena est ab examine subtiliore; Slavonicae enim formae maxime cum codicibus Graecis saeculorum octavi et noni conveniunt, a quibus ipsas derivatas esse constat; tales vero codices unciales ab elegantia codicis Sinaitici similiumque quavis fere littera longe remoti sunt. Neque recte vidit gravem psalterii Sinaitici ab exemplaribus vulgatis differentiam: secundus enim psalmus cum primo non coniunctus est. Et quae inprimis momentum habent, codicem ad rationem Euthalii conscriptum esse propterea-que saeculi videri quinti, item correctum esse eadem aetate atque scriptum, et corrigendo textum ecclesiae orthodoxae substitutum esse: horum nihil probari potest. Minime enim codicis scriptura Euthalium sequitur; neque si sequeretur, ut codex evangeliorum et actuum Cantabrigiensis, codex epistularum Paulinarum Claromontanus, codex actuum Laudianus, inde ad talem aetatem concludendum esset. Correctiones vero, quas tanti facit, ad plures referendae sunt auctores, quorum gravissimus totius codicis corrector, a Porphyrio pluribus locis adhibitus, ut Mt. 9, 10. 9, 14. Ioh. 1, 28. 6, 24, ipso scriptore aliquot saeculis posterior est. Ut autem quae illi et correctoribus reliquis debentur saepe cum usu ecclesiae orthodoxae conveniunt, quemadmodum haud pauca manifestae indiligentiae vitia compensarunt, ita multo saepius et ipsis quidem gravissimis locis, ut Mc. 16, 9 sqq. Ioh. 5, 4. 7, 53 sqq., ab eo confirmando abhorrent. Qua igitur re singulare codicis pretium contineri putavit, ea in errore posita est. At non obliviscendum est, quaestionem de textu sacro monumentorum antiquissimorum, quam doctus archimandrita disputatione sua aggressus est, ex difficillimis esse.

[1] Ceterum etiam Anglus doctus isque vir militaris in societatem huius honoris vocandus est. Certe enim S. P. Tregelles, vir laboribus circa Novum Testamentum criticis clarus, in libro suo: Additions to the fourth volume of the Introduction to the Holy Scriptures by the Rev. Th. H. Horne, pag. 775 haec testatus est: „A little later (post Porphyrium), perhaps, Major Macdonald described a very ancient Ms. which he had seen at Mount Sinai, containing the New Testament in early uncial characters, which he stated distinctly to be attributed to the 4th century. Major Macdonald also mentioned the manner in which the monks destroyed by fire ancient Mss."

quum nonnullas litteras iuxta positas plus intervalli in typis quam in scriptura requirere animadversum esset, ut ΛΥ ΛΤ ΛΥ, vel binas litteras coniunctas fieri iussimus, ût ΛΥ ΤΥ, vel singulos typos ita circumcidi ut alter cum altero arctissime necti posset, ut ΛΤ ΛΥ ΛΥ Λ.

Qui typi dum parabantur, etiam charta tali opere digna, speciosa aeque ac firma, praeparanda erat. Cuius rei curam demandavimus Ferdinando Flinsch, viro chartarum conficiendarum peritissimo. Perferebatur illo tempore ad nos nuntius, a chartario Londinensi, cui nomen est Delarue, chartam elementis chemicis ita confici ut membranae similitudinem quandam haberet. Unde quum operi nostro novum decus accessurum videretur, quantum sufficeret viginti exemplaribus ut Londino Lipsiam mitteretur mandavimus.

Quibus ita praeparatis, exeunte mense Martio anni 1860 per nives septentrionales repetenda erat Petropolis, ubi celsissimus imperator, intercedente cui praecipuam ille huius rei curam demandaverat E. de Kowalevsky cum A. Kislovsky summi muneris adiutore, quicquid praeparaveram liberaliter ratum fecit. Supererat autem ea operis pars, qua iis satisfaciendum erat qui rationes codicis palaeographicas penitus vellent cognoscere. Propterea tabularum tantum addere numerum placuit, ut similia opera quam maxime superaret. Hos labores Nicolao Wodoff artifici Petropolitano a mandatis praetorii cum sociis commisi, quocum mihi convenit ut simulacris photographicis in lapides translatis tabularum a me delectarum specimina recognoscendi causa ad me mitterentur Lipsiam.

His peractis medio mense Maio Lipsiam redii, totum mecum portans codicem exceptis foliis viginti ad tabulas destinatis, quorum custodem constitueram Hermannum Zunck, virum litteris instructissimum. Brevi post reditum meum textus typis exscribi Lipsiae coeptus est in officina Giesecke et Devrient, duumvirorum excolenda arte typographica clarorum. Nihil autem unquam operis typographicis traditum est nisi quod ipsi e codice, quem nunquam de manibus emisimus, transcripsimus variisque signis ad imitandam veterem scripturam auximus. Quem ad laborem alius accessit haud minoris momenti; quicquid enim typorum compositum est,[1] postquam correxerunt docti amici, inprimis Gustavus Mühlmann vir clarissimus, a nobis solis ad ipsum codicem exactum est. Procedente autem opere ipsam rationem scripturae typorum ope exprimendae variis modis emendare didici. Litterarum prae ceteris fluctuantium formae auctae sunt, ut Τ accessit ad Τ Τ Τ, ω ω ω ad ω ω ω ω, ad Ο ο ο; litteras passim vel aliquoties coniunctim scriptas imitati sumus, ut ΝΗ ΜΗ, ΠΗ, ΜΝΗ. Quoties novi aliquid occurrebat expressum est, ut Ϊ pro Ξ, Ϋ pro ΗΙ, κ pro ϗ, ut compendium scripturae Ϯ, alia. Subtilius res minoris momenti distinguendas curavimus, ut lineolarum longitudinem in ΘΥ et ΘΥ, in Ο̄ Ο̄ Ο̄; maiore etiam audacia usi sumus, alteram litteram alteri suprascribentes vel aliis modis a vulgari typothetarum usu discedentes. Gravissima vero emendatio facta est eo quod intervalla quibus litterarum alterae ab alteris in codice seiunctae sunt, tot aeneis lineis interponendis quot postulabat spatii ratio exprimenda curavimus. Quae res in nullo unquam simili opere temptata, ut iam supra dictum est, laborem immensum quantum auxit, et quum per hebdomadem triginta duae columnae textus quadripartiti ad codicis normam in usum operarum praeparandae ac post varias correctiones typis exscribendae essent, de toto opere intra triennium vel potius biennium absolvendo — anno enim 1860 mense Iulio prima folia prelo subiecta sunt — tantum non desperandum videbatur. Orta est inde etiam quaedam partium libri inaequalitas, prioribus minus quam posterioribus ad eam quam diximus insignem codicis similitudinem adductis. At praestabat, opinor, perfectiora praebere simulac posse praeberi intellectum est, quam minus perfectis, quae et ipsa codici Alexandrino Baberiano et Monumentis sacris meis cum similibus libris antecellebant, constantiae causa acquiescere. Liber ipse eo modo testis factus est, quantum diligentiae quantum religionis adhibitum sit ut imitationem manu scriptorum a susceptione prima ad maiorem perduceremus perfectionem. Ceterum quae ea in re per ipsum codicem varietas inveniatur, e tabulis ex diversis partibus depromptis iudicari poterit.

Postquam exeunte anno 1860 Notitia editionis nostrae susceptae publici iuris facta est,[2] qua quidem tantae omnium codicis cognoscendi exspectationi satisfaciendum videbatur, ut convenit, ineunte mense Maio anni 1861 tertium iter Petropolitanum feci eorum maxime

[1] Hoc officio multa cum laude defunctus est Clemens Tischendorf, defuncti fratris mei filius, etiam scholis Graecis institutus.

[2] Is liber quomodo in orbe litterarum exceptus sit, pluribus nuper docuit I. E. Volbeding, vir plurimum reverendus, in libello quem inscripsit: Constantin Tischendorf in seiner fünfundzwanzigjährigen schriftstellerischen Wirksamkeit. Literar-historische Skizze. Leipzig 1862. Cf. ibi pag. 89 sqq.

laborum caussa, quos artificibus Petropolitanis tradideram. Qui quidem quum parum ex sententia cessissent, malebam decem tabulas Petropolitanas satis habere quam ceterarum etiam decem, ut constitutum erat, periculum facere. Quo autem magis viri illi intellexerunt quantam ego accurationem quantam subtilitatem poscerem, eo magis ipsi arte profecerunt. Atque ita factum est ut speciminibus saepius repetitis omnique studio Lipsiae a me correctis intra annum perveniretur ad propositum. Nec facere possum quin plures ex tabulis Petropolitanis maxima cum similitudine codicem exprimere affirmem: quam ad perfectionem coniuncta artium photographicae et lithographicae studia valuerunt.[1] Petropolitanarum autem supplementa suscepta sunt Lipsiae, quibus parandis tantopere prospexi ut praecipua laborum pars in domo mea inspectante me ac moderante perficeretur.

Tribus voluminibus, quae textui cum Veteris tum Novi Testamenti destinavimus, ad finem prope adductis ultimum examen eorum quae typis exscripta erant instituendum curavi, eo quidem consilio ut si quid per laboris festinationem vel typorum iniuria vitiose exisset prelo corrigeretur. Absoluta autem sunt tria illa volumina una cum supplementis medio fere mense Iulio.

Ipsum typographorum officium pro tota libri ratione haud vulgare erat. Singularem curam quum antiquus scripturae color, tum litterae atque signa medio saepe textu minio scripta exigebant. Difficillimum vero erat, propter eam qua laborat siccitatem, in facticia membrana omnia recte typis exscribere.[2] Ceterum libenter permisimus ut nonnulla libri nostri specimina mense Maio huius anni Londinum mitterentur cum tot aliis artis operibus ex toto orbe advectis propalam collocanda.[3] Neque eventus spem fefellit; ut enim plurimorum spectatorum oculos in se converterunt et scientissimorum iudicum suffragiis probata sunt, ita typographis quorum curae opus mandavimus solemne praemium decretum est.

Textu universo typis exscripto supererat commentarius de omnibus iis locis, quos veteres correctores attigerunt, item de diversis singulorum foliorum paginis, prout interiore aut exteriore membrana constant, quo a discrimine conservatio scripturae maxime pendebat, et si quid aliud explicatione opus habere videbatur. Haec non minima totius operis pars ut nos obruit mole sua, notarum quae scribendae erant numero milia quindecim excedente, ita maximam difficultatem habuit ab obscuritate atque ambiguitate plurimarum correctionum. Quid quod aliquot locorum milia rasuram subierunt et, passim contradicentibus sibi invicem ipsis correctoribus, librorum palimpsestorum speciem induerunt.

Denique ad Prolegomena perventum est, quae ne plenius atque uberius perscriberentur, brevissimum quo absolvenda erant temporis spatium vetuit. Ceterum, ut in Notitia editionis codicis susceptae pag. 10 promisimus, simul altera editio praeparata est, quam communi virorum doctorum inprimis theologorum usui destinavimus. Valebit illa quidem, quamvis et ipsa criticam, non vulgarem rationem habitura sit, ad studium

[1] Ceterum fieri nequit ut tale litterarum monumentum, cuius scripturae non modo plurimis locis maiorem in modum evanuerunt sed etiam a correctoribus radendi ope pertractatae sunt, in usum criticum opere photographico exprimatur, nisi hominum doctorum et artis criticae peritorum subtile studium accedat.

[2] Accidit ut supplementa chartae illius novae, quum frustra Londini quaererentur, Lipsiae a Ferdinando Flinsch paranda essent; quod propterea notandum duximus, quoniam folia Lipsiensia paullulum differunt a Londinensibus, insignia illa quidem specie paullo meliore.

[3] Rogantibus Giesecke et Devrient schedulam addidimus testimonii instar his conscriptam verbis: ... Le travail en question était des plus difficiles, car je m'étais proposé une réproduction du vénérable document telle qu'elle n'a jamais encore été entreprise pour des publications de ce genre. Je ne me suis pas contenté, en effet, de représenter en général l'ancienne écriture, mais j'ai voulu aussi y faire entrer les différentes nuances que la main des anciens copistes y a introduites, telles que le changement des formes ordinaires par diminution ou par particularité ... les rapprochements d'une lettre à une autre ... et même les caprices des copistes ..., en outre une quantité de signes paléographiques employés à l'occasion. Conformément à ces intentions j'ai fait les arrangements et donné les dessins, l'original ne devant jamais sortir de mes mains, et MM. Giesecke et Devrient ont mis tout leur zèle à exécuter mes ordres. Ils ont également soigné avec la plus grande attention l'impression des feuilles: chose si délicate, par suite de la grande différence des formes du texte. Je suis convaincu que, malgré tout cela, des imperfections se seront glissées dans le travail; d'autant plus que l'œuvre ... exigeait de la promptitude: toutefois j'espère que les juges compétents trouveront cet ouvrage supérieur à beaucoup d'égards à toutes les publications de ce genre, et qu'ils le jugeront bien propre à faire constater un véritable progrès de la typographie ...

maioris editionis adiuvandum. Huius partem eam, quae totum Novum Testamentum cum Barnabae epistula et Pastoris fragmentis continet, iam exeunte hoc ipso anno prodituram confidimus.

Prodit autem haec codicis Sinaitici editio, postquam celsissimus imperator cum rebus imperii sui scholasticis summam operis nostri curam A. de Golovnine viro perillustri ac litterarum augendarum studiosissimo tradidit. Neque vero hoc loco silentio transeundum est, otia triennia quae his in laboribus consumpsi liberaliter ab eodem concessa esse cui, ut supra adnotatum est, anno 1859 primum inventi thesauri litteris Cahirensibus nuntium feci. Concessa autem sunt adnuente ac favente Iohanne clementissimo atque eruditissimo Saxoniae rege, quo dubito an quisquam inventis bibliis Sinaiticis magis gavisus sit.

II.

1. Membrana codicis non tam alba quam subflava est, magnaque ubique laevitate et subtilitate, quamvis singula folia satis inter se differant. Pleraque enim a crassitudine pariter atque a nimia tenuitate abhorrent; sunt vero etiam tanta tenuitate ut superari nequeat, propterea-que partim exesa et perforata. Totum per codicem, paucis exceptis foliis, altera folii pagina scripturam bene, altera parum conservavit. Quod a diversitate laterum pellis ex quo membranam confecere ortum est; quo enim latere carnem attingebat pellis, membrana multo mollior altero latere pilis tecto facta est. Qua in re memorabile est quod totus codex ita confectus est ut, mollioribus partibus cum mollioribus, fortioribus cum fortioribus iunctis, binae paginae molliores binas fortiores exciperent. Quae lex tantopere observata est ut quod excipias rarissime inveniatur, cuiusmodi sunt voluminis quarti folia 65 et 66, disparibus paginis iuncta.

Quaerenti quorum potissimum animalium pelles ad conficiendas membranas adhibitae sint vix dubium esse olim scripsimus quin prae ceteris ea antiloparum species quae etiamnum in desertis Libyae, Aegypti, Arabiae frequentissima est, egregiam materiem suppeditaverit. At nec asinorum pelles eo ab usu alienae erant. Nec satis liquet utrum pellis genus ac natura an artificium plus valuerit ad elegantiam membranae. Ceterum sive asinorum sive mavis antiloparum pelles, pro magnitudine codicis Sinaitici singula folia singulis pellibus conficienda erant. Singula autem more antiquorum dicimus; quae enim nobis bina dici solent, natura unum tantum corpus efficiunt nec nisi complicando atque scribendo in partes duas paginasque quattuor diremta sunt.

Qua cum re quaternionum et ternionum, qui Eusebio (de vita Const. 4, 37) *τριασσὰ καὶ τετρασσὰ* dicuntur, appellatio cohaeret. Quaterniones enim octonis foliis ex nostra computandi ratione, terniones senis constabant. Codex Sinaiticus quaternionibus compositus est. Quae totius libri fragmenta hoc nomine edidimus, a folio extremo quaternionis ΛΑ incipiunt, in quo scriptum est *Παραλ.* 9, 27—11, 22. Codex enim Friderico-Augustanus, cuius initium fit a quaternione ΛΕ, ipsum folium illud excipit, nisi quod syllaba *κα* a librario omissa inter utrumque desideratur.[1] Sequuntur quaternionis ΛΖ folia quinque posteriora, tribus prioribus in codice Frid. Aug. editis. Quaternionis ΛΗ folium extremum periit cum fragmento libri Iudith. Quadragesimi - Μ - vero quaternionis dimidia tantum pars videtur superesse; sed iam tum quum compingeretur codex nihil amplius praesto fuisse, quum ex eo modo intellegitur quo primum folium ΜΑ quaternionis cum quarto quaternionis Μ coniunctum est, tum inde apparet quod quattuor huius quaternionis folia ita ut alibi octona filo continentur. Haec propterea tam accurate perscribenda videbantur, quoniam quaeri potest an ab initio aeque ac nunc fit Maccabaeorum liber quartus primum exceperit. Alterum quidem quattuor folia quae de pleno quaternione desiderantur continere non poterant, tertium poterant. Numeri vero quaternionum ipsi antiquiores, de quibus dicetur infra, cum posterioribus in editione expressis plane conveniunt: cum igitur adscribebantur primum, foliorum numerus eum qui nunc est pluribus quam

[1] Codex Frid. Aug. incipit litteris *βασαηλ*, et primum codicis Sinaitici folium exit voce *απο*, quod utrumque incidit in *Παραλ.* 11, 22, ubi est *απο καβασαηλ*.

quattuor foliis non poterat excedere. A quaternione ΜΑ usque ad ΜϚ quaterniones sex integri sunt. Sequuntur ΝΖ quaternio et quaternionis ΝΗ folia priora sex. Atque hi quidem quaterniones omnes ad libros historicos et propheticos, quos volumine II edidimus, pertinent. Volumen III, quo libros ex antiquo more versibus scriptos complexi sumus, quaternionibus constat quattuordecim, a quaternione ΝΘ usque ΟΒ, iisque integris. Quartum denique volumen, quo omnes Novi Testamenti libros edidimus, a quaternione ΟΓ incipiens numeros viginti complectitur, quorum ultimus est ϘΒ. In his ΟΗ quaternio (in evangelio Lucae) septem tantum foliis constat; quaterniones Π (quo exit Iohannis evangelium) et Ϙ (in epistula Barnabae) senis tantum constant, ita ut non tam quaterniones sint quam terniones, ϘΑ quaternionis duo tantum folia, quibus epistula Barnabae desinit, item eius qui sequitur folia tantum sex cum septimi dimidio et brevi fragmento supersunt. Intellegitur autem ex hac quaternionum serie omnes utriusque Testamenti libros unum ab initio volumen sive *σωμάτιον* effecisse, cuiusmodi olim Constantinus imperator quinquaginta in usum ecclesiae Constantinopolitanae parari iussit, ut Eusebius nobis tradidit de vita Constantini 4, 36.

Quae in codice Sinaitico foliorum magnitudo sit, ex tabulis integras paginas exhibentibus facile coniici poterit, accurate vero etiam tabula XIX expressum est. Sed non dubium est quin quum primum e manibus scriptorum exibat codex, forma paullo maiore sit usus. Passim enim extremis marginibus, vel summo, ubi olim quaternionum numeri rubro adpicti erant, vel dextero, ubi notae solebant addi, litterarum aliquid abscisum est. Unde etiam hoc clarum fit, tum codicem a bibliopego compactum esse quum quaternionum numeri abscisis prioribus renovati sint.

2. Constat inter eos qui codicum veterum usum habent, librarios lineas stilo ducere consuevisse, quarum ad normam scripturam conformarent. Hoc etiam in codice Sinaitico factum est, in quo lineae eiusmodi quum ad columnas tum ad versus constituendos pertinent. Singulae enim columnae ad utrumque latus singulis lineis tamquam limitibus circumscriptae sunt; versus vero lineis ita significantur ut singulae lineae modo singulos modo binos modo ternos versus separent. Quae versuum lineae a punctis exeunt acu in extremo plerumque foliorum margine factis. Fit vero etiam ut a solis his punctis ordo versuum pendeat. Fecit autem membranae subtilitas ut lineae in altero cuiusvis folii pagina ductae textui utriusque paginae inservirent.

3. Atramentum quo antiquissima scriptura utitur plerumque fuscum est. Saepe etiam cineraceum aliquid habet; alibi fulvum dici potest, alibi e fusco rutilans. Plerumque aliquem nitorem habet. Quae quidem coloris varietas non modo ab ipsius atramenti diversitate, verum etiam a membranae natura videtur pependisse. Hoc maxime inde coniiciendum est, quod passim, et potissimum quidem interioribus sive mollioribus paginis, quae antiquissimus scriptor et quae correctores dederunt aliquam similitudinem adsumserunt. Praeterea super rasuras idem atramentum aliam atque in laeva membrana speciem induit.

Correctiones antiquissimae non ita multum a prima scriptura atramento differunt. Quas siglo A comprehendimus, plerumque paullo pallidiores sunt; sed valuit ad hoc nonnihil formarum exiguitas qua scriptae esse solent; ubi enim textus magnitudinem aequant, atramentum fuscum apparet. Notae B correctoris mollioribus paginis simillimum cum textu colorem habent, durioribus plerumque magis nigricant. Posteriores correctores, qui C^a et C^b nobis dicuntur, plerumque atramento e fusco rutilante, passim fulvo usi sunt. Hos qui excepit, C^c, atramento pullo usus est. Nigerrimum vero ac nitens is adhibuit qui litteras paginarum multarum pallentes in Esaia maxime (et in Ieremia codicis Friderico-Augustani) instauravit, notis aliquot vel Graece vel Arabice adspersis.

4. Minio scripti sunt psalmorum tituli et numeri, tituli ad canticum canticorum illustrandum additi, numeri quibus Ammonii sectiones cum canonibus Eusebii indicantur, item libri Ecclesiastae inscriptio;[1] nec nihil in picturis quas arabescos vocant rubricatum est, ut ad finem psalterii et evangelii secundum Marcum. Quicquid autem minio scriptum est, editio eodem colore conspiciendum praebet.

5. Interpunctio et rarissima et simplicissima esse solet. Textus librorum versibus scriptorum, qui totum volumen III occupant, plane expers est interpunctionis, quamvis versuum minime ea sit ratio ut pariter ac versus Euthalii ad scribendas Pauli epistulas adhibiti interpunctionem

[1] Titulus *ἐκκλησιαστής*, quem totum minio expressimus, in ipso codice praeter ε litteram dimidias tantum litterarum partes rubricatas habet.

ipsi compensent. Hoc inde quoque patet quod correctores, excepto psalterio, plurima addiderunt puncta. Neque excipiendus est prologus Siracidae aut longiores Ecclesiastae sententiae, quibus nusquam prima manus, multis vero locis posterior puncta intulit.[1]

Non aeque ac bipartitus libri textus interpunctione prorsus exemtus est quadripartitus, quem voluminibus altero et quarto complexi sumus. Tamen et ipse magna interpunctionis raritate atque simplicitate insignis est. Plurimae columnae quas vocant et integrae paginae haud paucae inveniuntur, quibus ne unō quidem loco punctum positum est. In nonnullis eiusdem textus partibus, ut vol. II per textum librorum Tobith et Iudith, vol. IIII. foll. 10 et 15. foll. 25 et 26, medio textu spatia vacua modo minora modo maiora ad textum distinguendum destinata sunt. Passim vero non tanta puncti raritas est, quemadmodum similes voces iuxta positae alibi punctis alibi versibus distinguuntur: prius fit Rom. 1, 29 sqq., posterius Gal. 5, 19 sqq. Aliquoties etiam duplex punctum adhibitum est, et in iisdem quidem libris quorum scriptor spatiis vacuis textus distinguendi caussa usus est.

De interpunctione autem codicis antiquissima inquirenti maxima difficultas inde oritur, quod innumeris locis suppleta est a correctoribus. Quae supplementa ut plurimis locis et forma et colore correctorem produnt, item eo quod nullo spatio relicto continuis verbis parum apte interposita sunt, ita multis aliis locis praesertim paginarum earum, quae interiorem membranae partem tenent, facile in errorem ducunt. Inprimis ambigua sunt puncta exeuntibus versibus addita, item spatiis illata eiusmodi quae antiquissimum scriptorem vacua reliquisse aliis locis iisque salvis propterea que certis probabile fit. Accedit quod aliquot quamvis paucissima puncta primae ut videtur manus inveniuntur ubi nihil spatii relictum est, cf. fol. 62. col. 4 *πονηριαι· κακιαι· πλεονεξιαι*, unde consequitur, quod a sola spatii ratione in distinguendis punctis scriptoris et correctorum argumentum sumitur posse in dubium vocari. Praeterea ipsi correctores ea in re inter se differunt; sunt enim quae nemo cum antiquissimis confundat, rursus omnium difficillime is discernitur qui singularem prioribus Matthaei capitibus curam impendit et apud nos siglo B signatus est.

Quae quum ita sint, singulis locis a nemine rectum facile inveniri potest nisi toto codice curiose subtiliterque examinato. Ipsi quidem examine toties repetito maximam curam adhibuimus ut nihil non recte ederetur, licet in tanta rei ambiguitate ut nunquam a vero erraremus vix contigerit.

6. Quae in codice Frid. Aug. scripturae signa inveniri Prol. § 6 diximus, apostrophum et illud cuius forma est ›, eadem hoc loco commemoranda sunt. Apostrophi exempla haec sunt: *ιουδιθ' δαυειδ' ιωσηφ' εφρεμ' ιερουσαλημ' μετα' αυτων κατεπατησα' αυτους.* Nonnulla nomina propria apostrophi et puncti signa coniuncta habent, ut ΙΩΒ'˙, quamquam in eodem libro ab eadem manu etiam ΙΩΒ˙ et ΙΩΒ scriptum est. Multis codicis partibus apostrophus admodum raro invenitur, neque certa lege positus est; quae enim verba alibi habent, eadem alibi non habent. Saepissime vero correctores B et C suppleverunt, quod facile videbit si quis tabulas cum textu typis exscripto comparaverit; in hoc enim non expressi sunt apostrophi nisi quos prima manus posuit.

Alterum signum, cuius multa exempla praebent libri Tobith et Iudith, satis ambiguum est. Quod olim in Prolegomenis codicis Frid. Augustani diximus, videri nobis ita adhiberi ut quod exeunte versu scriptum sit, sive vocem integram sive syllabam, arctius coniungat cum eo quod proximo ineunte sequatur, id multis exemplis luculenter probari videtur, cuiusmodi iam illo loco adscripsimus ex papyris Herculanensibus petita (*οικοδο›μων θεν›δεσθαι ενοχυρο›σαν ε›θρυπτεν*). Tamen non solum aut ubique eam illud signum vim habere putamus, sed saepe tantum ornamenti locum tenere, explendi spatii caussa positum. Hoc quum multis aliis locis tum iis maxime probatur, ubi in locum substitutum est eorum quae exeunte versu erasa sunt. Ceterum praeter papyros nescio an in nullis libris scriptis nisi paucis veterrimis inveniatur, ut in fragmentis Octateuchi ex Origenis editione (quae continet Monumentorum meorum sacror. volumen III) et in codice bibliorum Vaticano.

Passim lineola versibus interiecta ad distinguendum textum facit, quod idem in papyris fit. Aliae lineolae et quae eodem loco habenda sunt signa, ut ⟋, ad ornandos titulos, inscriptiones, subscriptiones pertinent. Uno quantum memini loco, IIII. 116*. col. 2., ipsa prima manu iis quae ab auctore sacro aliunde afferuntur duo signa addita sunt. Multis vero aliis locis eadem suppeditata sunt ab A et B correctoribus, cuius rei exempla praebent tabula XIII. ex actis petita et duo loci tabulae XVIII.

[1] Tamen in titulis cantici canticorum *η νυμφη* et *ο νυμφιος* ab iis quae addita sunt aliquoties puncto separantur. Confer editionem.

Puncta diaeretica super ι et υ, si ab usu lex derivanda est, multo saepius omissa quam posita, saepissime vero a correctoribus suppleta sunt: qua quidem in re innumeris locis manum antiquissimam et posteriores distinguere perdifficile est, praesertim quum correctores etiam operam dederint ut subtilissimos primae manus ductus instaurarent ac manifestiores redderent. Ceterum in ipso codice pro Ϊ et Ϋ, ut omnino solet scribi, saepe etiam Ι et Ϋ (raro Ϋ) scriptum est: qua varietate neglecta ubique Ϊ et Ϋ edidimus, postquam nullo prorsus discrimine habito modo hoc modo illud scribi intellectum est.

Compendia scripturae in codice haec fere adhibentur: ΘC ΚC ΙC ΧC ΥC ΠΗΡ ΜΗΡ ΠΝΑ ΠΝΙΚΟC ΑΝΟC ΟΥΝΟC cum iis quae inde declinantur, etiam CΡC et (IIII. 28, 4) CΤΡΟΗ quocum ΕC⳨ΩΘΗ cohaeret, quae scriptura (IIII. 130, 3) maxime memorabilis est; item ΔΑΔ ΙΛΗΜ ΙΕΛΜ ΙΗΛΜ ΙΗΛ ΙCΛ ΙCΗΛ. Accedunt Ϗ pro και et ⲙ︦ pro μου et μοι, bis vel ter etiam, quod ex papyris Herculanensibus innotuit, ⲡ︦ pro προσ et προ. Ubi versus exit, saepissime ν littera lineola finali exprimitur ad frontem extremae litterae adposita, ut ΕΙΠΕ Τ ΠΛ. Horum quicquid in codice invenitur, in editione expressum est. In eadem etiam opera data est ut, quas passim in scriptis observavimus, litterae coniunctae accurate redderentur, cuiusmodi sunt ΝΗ ΗΝ ΜΗ ΗΜ ΤΗ ΜΝΗ.

Numeri modo plene scribuntur, ut numerus nominis bestiae in apocalypsi εξακοσιοι εξηκοντα εξ, modo litteris exprimuntur, ut εκατον μδ πηχεων, αγγελους ιβ, ο δ etc.

8. Hoc loco iniicienda est mentio signi ⳨, quod monogramma Christi vel crucem monogrammam vocant, in Sinaiticis bibliis pariter atque in Vaticanis et Alexandrinis Musei Britannici inventi. Ut autem in Vaticanis quater (ad finem Threnorum, Ezechielis, evangelii Iohannis, actuum apostolorum) et bis (ad finem II. Regum et I. Esdrae) in Alexandrinis, ita ter in Sinaiticis Veteris Testamenti fragmentis observatum est: ad finem vaticiniorum Ieremiae et bis ad finem Esaiae. Posteriore loco quae in codice scripta sunt, ea accuratissime in editione expressimus. Quae sub ipso textu picta est forma, perfectior altera est, arabescis quos vocant superposita. Atque cum hac altera etiam ea convenit quae ad finem Ieremiae adpicta est.[1] Praeterea non casu sed consilio factum videtur, quod Apoc. 11, 8 (IIII. 130, 3) compendium scripturae quo εσταυρωθη exprimitur idem signum praebet: quae res ad ipsum signum illustrandum videtur valere.[2] De quo post Cavedonium et Letronnium nuperrime docte scripsit G. B. de Rossi in appendice dissertationis quam Carolus Vercellone Barnabita, vir plurimum reverendus, de codice bibliorum Vaticano edidit.[3] Et in numis quidem Cavedonio viro clarissimo aurei Constantini Antiocheni, quibus annus 335 inscriptus est, antiquissimum eius signi exemplum praebuere; Letronnius vero monumentis Aegypti Christianis antiquissimis proprium eoque quod a Constantino nomen habet prius usitatum fuisse contendit. A qua sententia discessit de Rossi, vir illustrissimus, quamvis monogrammatis illius cum cruce Aegyptiorum ansata similitudinem agnosceret neque negaret iam aetate Constantini adhibitum esse ac primum atque maxime in Aegypto placuisse. Mihi quidem, cui Letronnii coniectura inprimis probatur, nil certi inde ad aetatem aut originem bibliorum trium quae diximus inveniendam concludi posse videtur. Sine dubio vero monogramma illud Christi proprie Aegyptiacum non ultimum originis Aegyptiacae argumentum praebet, neque improbabile est ipsa aetate Constantini librariis praesertim Aegyptiacis in describendis libris sacris usitatum fuisse.

9. Restat ut de variis codicis Sinaitici scripturis et scriptoribus explicemus.

Ipsum textum antiquissimum non ab eodem scriptore profectum esse mihi certissimum est. Qui vero coniunctis viribus ei scribendo operam dederunt, tanta scripturae similitudine utuntur ut intuentem primum facile fugiat quae singulorum sit diversitas, atque etiam repetitis curis supersit de quo dubites. Unde hoc apparet, ad indagandam totam eam rem subtiliore curiositate opus esse. Mea quidem sententia quattuor

[1] In editione codicis Frid. Aug. lineola picturae suprema transversa non in duas partes dividi sed infimam partem Ρ litterae transire debebat, ut fit in Esaia. Neutro vero loco ipsam mediam vel superiorem eius litterae partem linea transversa transit, quemadmodum eo fit monogrammate quod inter Esaiae textum et subscriptionem adpictum est.

[2] Eodem valet, ni fallor, quod iam Barnabas in epistula quae fertur sua testatur Τ litteram pro typo crucis habitam esse. Cf. Barn. epist. cap. IX.

[3] Libelli titulus est: Dell' antichissimo codice Vaticano della bibbia Greca dissertazione, letta alla pontificia accademia di archeologia il 14 Luglio 1859 dal P. D. Carlo Vercellone Barnabita, con appendice del Cav. G. B. de Rossi. Roma 1860.

potissimum librarii textum scripserunt. A cum Chronicorum fragmento librum Maccabaeorum primum et totum Novum Testamentum scripsit, exceptis foliis septem et Pastore, B prophetas et Pastoris librum, C libros ex more antiquissimo versibus editos, D libros Tobith et Iudith, item quarti Maccabaeorum libri folia tria priora cum dimidio, in Novo vero Testamento duo Matthaei folia: 10 et 15; ultimum Marci folium et primum Lucae: 29 et 30; prioris ad Thessalonicenses epistulae folium alterum et folium tertium epistulae ad Hebraeos: 88 et 91. Quibus nescio an apocalypsis initium addam, quod prima paginae 126* columna usque ad verba ο μαρτυϲ ο πιϲτοϲ ο πρωτοτοκοϲ των νεκρων scriptum est.[1] In his quattuor librariis rursus maior quaedam scripturae similitudo inter A et B intercedit, item inter C et D. Ad A ex tabulis nostris integris pertinent decem: V. VI. IX usque XVI; ad B tabulae II et XVII; ad C tabulae III et IIII; ad D tabulae I. VII. VIII.

Minio quae in Vetere Testamento scripta sunt, ab alia manu derivanda quam quae evangeliis Ammonii sectiones cum canonibus Eusebii addidit, quamvis non sit grave utriusque scripturae discrimen.

De librorum inscriptionibus et subscriptionibus, item de titulis paginarum ita dicendum videtur ut singula secundum ordinem percenseam. In libris Tobith et Iudith quicquid titulorum est una cum subscriptionibus ad ipsum scriptorem pertinet, quem siglo D insignivimus. Ad eundem referendae sunt inscriptiones utriusque Maccabaeorum libri cum titulo paginae 35. Atque idem, ut breviter dicam, illud negotii sibi sumpsisse putandus est, ut per totum codicem ubi ex re esset singulis paginis repeteret titulos. Qua in re vol. II. fol. 82 αγγαιοϲ ῑ propterea videtur ex errore repetisse, quoniam fol. 81* omissa est Zachariae inscriptio. Titulum paginae 63. vol. III. fecit αϲματα, quum praecessisset libri inscriptio αϲμα αϲματων. Quae vero in fronte singulorum librorum inscripta et ad finem subscripta sunt, inde a subscriptionibus utriusque Maccabaeorum libri usque ad Malachiam, item a psalmis, quibus nec inscriptio est nec tituli paginarum, usque ad librum Iob, ea omnia cum scriptura continui textus conveniunt. In Novo autem Testamento omnes evangeliorum tituli cum subscriptionibus evangeliorum Marci et Iohannis ad manum D referendi sunt, quae quidem et ipsa extremam Marci et primam Lucae paginam scripsit. Hinc in evangeliis ad manum A non pertinet nisi subscriptio evangelii Lucae. In epistulis Pauli omnes subscriptiones scriptori A tribuendae sunt, excepta epistula altera ad Thessalonicenses, cuius ultimum folium cum subscriptione D scripsit. Idem D plurimum studii in titulis posuit, nisi quod inde ab epistula ad Galatas inscriptiones pleraeque, aliquot etiam paginarum tituli ab ea potius manu profecti videntur cui versuum (ϲτιχων) notatio debetur. Quod si revera ita est, is qui ϲτιχουϲ addidit aetate vix differt a codicis scriptoribus sed in quadam cum iis negotii societate fuisse credendus est.[2] Ipsum D a versuum notatione alienum fuisse, quum e scripturae discrimine tum inde apparet, quod epistulae priori ad Thessalonicenses, cuius extrema pars cum subscriptione huius est scriptoris, versuum numerus deest. Ea quidem varietas, quacum nomen Colossensium in inscriptione et in paginarum titulis scriptum est, κολοϲϲαειϲ et κολαϲϲαειϲ, quaeritur an diversos auctores cogat statuere, accedente quadam litterarum varietate quam in editis expressimus. At ipse libri scriptor in principio epistulae κολοϲϲαειϲ, in subscriptione κολαϲϲαειϲ dedit. Eadem fere cum epistulis Paulinis reliquorum librorum est ratio. Quae enim manus textum scripsit, eadem subscripsit actis, epistulis catholicis, apocalypsi, epistulae Barnabae. Inscriptiones vero, excepta Barnabae epistula, et paginarum tituli ad D scriptorem pertinent, nisi aliam similem manum unius ex sociis ponere praestat. Qua de re dubitatio inde mihi oborta est quod D apocalypsi suprascripsit αποκαλυψιϲ ιωανου neque in prima quam scripsit parte hanc scripturam mutavit, qui sequuntur vero tituli (cum subscriptione) αποκαλυψιϲ ιωαννου praebent. In Pastoris libro tituli tantum non ab ipso textu differunt, nec atramento nec scriptura.

[1] Hoc ex ipsa editione intellegi potest comparatis formis litterae ν exeuntibus versibus positae; item ex eo quod > signum ultra illa verba nusquam additum est, quamvis pro spatii ratione eidem scriptori passim addendum esset.

[2] Horum versuum computationem minime ab Euthalio pendere in promptu est. Mihi non dubium est quin ea ratio, qua veteres voluminum versus numerare et notare solebant, iam prioribus p. Chr. saeculis etiam ad libros Novi Testamenti adhibita sit. Cuius rei praeter alios Origenem et Eustathium Antiochenum testes habemus, quorum ille alteram et tertiam Iohannis epistulam minus centum versus continere scripsit (cf. Euseb. h. e. 6, 25 πλὴν οὐκ εἰσὶ στίχων ἀμφότεραι ἑκατόν), Eustathius vero (in comm. in Hexaem. etc. Lugd. 1629. p. 392) a Ioh. 8, 59 usque 10, 31. versus 135 numerari indicavit. Quam antiquam rationem postea Pamphilus (exeunte saec. 3) et Euthalius (a. 458) excoluerunt. Sed de hac re in plerisque Novi Testamenti libris isagogicis parum recte tractata alibi accuratius explicandum erit.

Ceterum in tanta quam non dissimulavimus notarum illarum ambiguitate tenendum hoc est, cum auctorum diversitate non coniunctam videri aetatis diversitatem. Res autem est eiusmodi ut doceat quomodo in elaborando tali scripturarum sanctarum corpore versati sint illa aetate, rebus Christianis ingenti incremento auctis. Usüs cui destinatum erat non permittebat ut ab uno ut otium ferebat perscriberetur, sed coniunctis viribus properandum videbatur.

Iam vero ad eos transeundum est quos correctorum nomine complecti par est, quamquam is qui primo loco ponendus est in ipso scribendo codice partem habuit. Qui enim in auctoribus codicis nobis dictus est D, idem etiam hoc egit ut quae reliqui scripsissent, in Novo potissimum Testamento, recognosceret. Qua de re diu dubitanti plura fidem fecerunt. Plerosque enim paginarum titulos eadem manu additos esse, ex ductibus quibusdam et atramento conclusi, comparatis textus partibus a D solo scriptis, quibus ipsis eadem titulorum atque textus est scriptura. Quod postquam intellectum est, accessit locus gravissimus. Folio enim Novi Testamenti 73 notam supra textum quae incipit verbis γεγονα χαλκοσ ηχων η κυμβαλον, et paginae titulum προσ κορινθιουσ ᾱ ab eodem scripta esse manifestum est. Quid quod notam ille prius videtur addidisse quam titulum, quum tituli scriptura ei accommodata sit spatio quod nota occupabat. Aliquo etiam loco illud habebam, quod quas textus paginas D scripsit, eae uno fere loco excepto (τον ναζαρηνον ultimo folio Marci) nil notarum quas siglo A designavimus acceperunt. Quae vero folio voluminis II tertio columna tertia insignis invenitur correctio, tabula XIX expressa (εισ γεγρεσ etc.), ea cum ipsius textus scriptura, quae eiusdem D est, prorsus convenit. Quum autem antiquissimarum de quibus sermo est notarum scriptura quum nexibus certis tum magnitudine litterarum plerumque differat a paginis continui textus a D scriptis, praeter notam illam et titulum prioris ad Corinthios epistulae alius locus inventus est ad docendum aptissimus. Novi enim Testamenti folio 3 col. 4 verba και βρεχι επι δικαιουσ και αδικουσ a scriptore paginae omissa quum primus ille corrector supplebat, ea quae vacuum primi versus spatium occupant eadem cum textu reliquo magnitudine exaravit, quae vero lineam excedunt minutioribus formis iisque antiquissimarum notarum scripturae propriis. Hinc luculenter probatum est eundem scriptorem alias formas multo minutiores et sensu quodam proprias adhibuisse ad notas, alias ad textum scribendum. Quum igitur dubitari nequeat quin auctor codicis noster D textus partes collegae manu absolutas recognoscens pertractaverit, mirum alicui videri potest quod ille non satis habuit vitia corrigere et omissa supplere, sed ipsum textum ad aliud exemplar exegit quam quod ad describendum collegae propositum erat. Sed id ipsum recognitioni quam Graeci διόρθωσιν vocabant, peculiare fuisse ex ea nota discitur quam ad finem librorum εσδρασ β̄ et εσθηρ in codice Friderico-Augustano edidimus. Ibi enim quum inter collationem distinguatur et recognitionem — αντωνινοσ αντεβαλεν, παμφιλοσ διορθωσα — indicatur illud, recognoscenti nequaquam conferendis recens scriptis cum exemplo unde descripta essent acquiescendum fuisse. Ad recognoscendum autem Sinaiticum codicem revera aliud exemplar adhibitum esse iis locis evincitur ubi utraque scriptura, et quam scriptor et quam primus ille corrector secutus est, aliorum veterrimorum codicum auctoritate confirmatur.

Quae codicum vel certe lectionum varietas ad eum ipsum pertinebat, qui maximam Novi Testamenti partem descripsit. Aliquoties enim ille vel fluctuavit inter duas lectiones vel duarum adeo lectionum partes miscuit. Huiusmodi est 98*, 6 (Tit. 3, 2), ubi ενδικνυσθαι σπουδην τε προσ scripsit, inepte retenta τε syllaba vocis πραϋτητα, cuius in locum σπουδην substituit, quod in exemplari suo voci πραϋτητα suprascriptum invenisse putandus est. Item 122*, 14 (2. Petr. 2, 15) βεωορσορ scripsit, βεωρ et βοσορ in unum conflatis. Similiter 120*, 28 (1. Petr. 2, 12) inter δοξασουσιν et τειμωσιν optio ei data erat. Folio vero 103, 15. 16 (Act. 6, 11) βλασφημα ex βλασφημιασ effinxit, quemadmodum tabula XIX accurate expressum est. Cf. etiam 123, 11. 12. 124*, 7. Correctiones eiusmodi ab iis ubique distinguere quae primo quem diximus correctori debentur, quam sit difficile, non est quod demonstretur.

Neque haec sola in diiudicandis emendationibus antiquissimis difficultas est. Ad eas enim quae vel ipsi scriptori vel primo correctori nostro debentur accedunt aliae pari scripturae elegantia nec ullo fere atramenti discrimine, quae tertium quendam auctorem habent.[1] Huius est nota quam tab. XVIII col. 1 ex margine folii 42* describendam curavimus, item ea quam tab. VI repraesentat, ubi sub textu columnae tertiae

[1] Eidem tribuendum erit illud τον ναζαρηνον exeunte Marci evangelio.

legitur, incipiens verbis *ο ενρων*, item verba *μη μοιχευσησ* et *μακαριοσ* etc. quae tab. XIX e foliis 24* et 40* exhibentur. Quae quidem omnia ut recte ab iis discernere nobis videmur quorum exempla dedimus tabulae XVIII columna prima, ita loci alii multi, ubi una vel paucae tantum litterae in censum veniunt, correctorum simillimorum alterum ab altero accuratius distincturum eludunt.

Quae quum ita se haberent, siglo A correctiones omnes comprehendendas iudicavimus quae parem scripturae elegantiam prae se ferunt et vix vel parum aetate differunt. Haec etiam ad Pastoris fragmenta valent, quibus quae ante C correctorem notae additae sunt formis minutissimis, quarum exemplum tab. XVIII dedimus, ad eandem omnino cum ipso textu aetatem, tamen ad nullum eorum qui ceteros Novi Testamenti libros recognoverunt referendae videntur. Nec facere potuimus quin cum iisdem correctionibus arctiore nexu illas quoque notas poneremus, quarum exempla praebet tabula XVIII col. altera ex folio 78 recto et verso allata (*εαυτουσ* et *λεγω*). Fit enim semel vel bis ut iidem ductus obliqui cum aliis inveniantur coniuncti qui ad antiquissimam elegantiam accedunt. Hinc auctorem A^obliq i. e. A obliquis ductibus diximus.

In Novo Testamento correctiones A ad omnes partes exceptis apocalypsi et Barnaba pertinuerunt. In Vetere ad quas inprimis accesserint, ex commentario colligendum est.

Quae scriptura sit notarum B, tabula XVIII col. 2 aliquot exemplis docet, ubi videnda sunt *ελθοντεσ, εθνων, λεγων, εαν, ουν, η πυλη*. Alia praebet tabula V col. 2, ubi B corrector *και μη ὅλον* pro *η ολον* reposuit, *εαν* pro *αν*, *μοιχαται*, pro *μοιχατε*, *μηδε* pro *μητε*[1] etc. Quae quidem cum aliis ut satis manifesta nec facile cum notis A confundenda sunt, ita sunt etiam quae dubitationem habeant et propius ad antiquissimas notas accedant. Scripsit haud dubie vir doctus, qui eo consilio ad retractandum codicem videtur accessisse, ut antiquae scripturae variis modis consuleret. Hinc nullam paginam maiore studio quam ipsam primam amplexus est, quam etiam apostrophis spiritibus accentibus punctis aliisque signis larga manu exornavit.[2] A qua liberalitate quantopere iam recesserit folio tertio, tabula V docet. Etiam parcior fuit in iis quae sequuntur, ac praeter Matthaeum paucos tantum evangeliorum locos attigit.

Inter correctiones B et A quodammodo fluctuant quibus siglum B^a in commentario praepositum est. Horum exempla tabula XVIII col. altera continet, ubi ex foliis 1 et 2 afferuntur *υπο* pro *δια* et *αυτω* ad *ανεωχθησαν* additum, quibus accedit tabula V col. 4 *ουχι* super *και οι* additum, item *αυτησ* col. 1. Haec manum doctam similiter produnt atque quae antiquissimis notis passim festinanter adiecta sunt *κατω* et *ανω* cf. tab. XVIII col. 1 sub finem.

Pertinent huc etiam quae textui actuum apostolorum passim suprascripta sunt lemmata, quorum exempla tabulae XIII et XVIII exhibent. Haec cum sectionum numeris (cf. tab. XIII ubi notata est sectio ιι) perantiqua et ipsa sunt, licet ad nullum eorum quos A et B siglis comprehendimus referenda videntur.[3]

Pergendum est ad correctorum par, quos C^a et ^b siglis insignivimus. Uterque quum Vetus tum Novum attigit Testamentum; prior vero alterius studia magnopere superavit. Et in Vetere quidem Testamento utriusque curae libris propheticis impertitae sunt, praevalente passim C^b;[4] libros vero versibus scriptos C^a maximam partem omnium solus et magna quidem cum diligentia tractavit, C^b plane non attigit. In Novo Testamento

[1] Sed *δ* pro *τ* rursus (a c) erasum est, ut ipsa tabula satis expressimus. Hoc adde ad commentarium III, 6.

[2] Hanc ad retractationem primi fol. vers. columna prima hi pertinent apostrophi, spiritus, accentus: *ελαχίστη ει, ὅστισ, ποιμανεῖ, βηθλεεμ' εῖπεν, λέγητε, ὅπωσ, ὁιδε, ὁ αστηρ ὃν εἶδον, προῆγεν, ἑωσ, ὁῦ ἦν, εἶδον, Ϊησ. αὐτων, προσηνεγ'καν.* Item altera: *κατ ὄναρ, δι' ἄλλησ ὁδου, ἀυτων χωραν, κατ' οναρ, μητερα ἀυτου, ἴσθι, ἑωσ αν ἐιπω, μέλλει, ὁ δε, μητερα ἀυτου, ἡρωδου, πληρωθῇ, ὁτι, λῖαν, ανεῖλεν, πᾶσι, ὁρίοισ ἀυτησ, ὃν.*

[3] Ceterum sectiones istae cum iisdem conveniunt, quas manus quaedam posterior codici Vaticano pariter ac Sinaitico intulit. Cf. Hugii commentationem de antiquitate codicis Vaticani pag. 21.

[4] Quod ubi fit, saepe nos exercuerunt loci qui litteris primae manus erasis alias superscriptas habent. Istae enim correctiones, qua sunt scriptura et ratione, omnino ad c^b referendae videntur, quamvis atramento ab iis differant quae sine rasura scripsit. Quam rem plurimis inter se locis comparatis inde explicandam intelleximus, quod rasuras ille, antequam novi quid superscriberet, subalba quadam materia illinendas curavit, quo melius vel tutius novam scripturam recipere possent. Hinc saepe factum est ut altera correctionis pars eaque in rasura posita aliam atramenti speciem adsumeret, aliam altera extra rasuram scripta.

postquam evangelia utrumque nacti sunt correctorem, epistulae Paulinae, acta apostolorum, epistulae catholicae, apocalypsis, Pastoris liber non habuerunt nisi C^{a} (simplici C in commentario notatum), qui quidem unam Barnabae epistulam praeteriit. Qua usi sint scriptura, passim in tabulis nostris significatum est. Utriusque exempla tabula IX praebet, ubi quae supra col. tertiam addita sunt: τοισ μαθηταισ οι δε μαθηται, C^{b} correctoris sunt, cetera vero simillimis formis adnotata omnia C^{a} auctorem habent. Cf. etiam tabulam XVII ubi textum passim C^{a} correxit praetereaque και ανεφερετο εισ τον ουρανον supplevit, C^{b} vero υιον βαραχιου adscripsit. In ceteris tabulis praeter tabulam II pleraque id genus ad C^{a} pertinent. Qua potissimum re hae scripturae differant, satis perspicuum erit. Sunt enim litterae quarum infimas partes brevi linea caudae instar ornare solet C^{b}, non item C^{a}; quae caudae ubi locum non habent aut a scriptore omissae sunt, non enim ubique constanter addidit, alterum ab altero distinguere difficillimum est, praesertim quum passim atramenti discrimen nullius momenti sit. Elegantiam scripturae neuter eorum affectavit; scribebant non ut librarii, sed ut viri docti tum solebant scribere. Qua aetate vixerint quaerenti non negligendum est quod nondum habebant accentuum usum. Grammaticas quod attinet formas, inprimis memorabile est quod non modo non mutarunt εραυναν, quae forma in antiquissimo textu usitatissima est, sed ipse C^{a} εραυνησω in notis scripsit III, 34, 6. Idem aliquoties ν εφελκ. ante consonam addidit (ut III, 21* 15 πασιν τουτοισ 42*, 4 σαρξιν σου 67, 12 ουδεν γαρ) atque etiam ουτωσ pro ουτω sequente consona reposuit (ut II, 40*, 7 ουτωσ ειρηνιοι 39*, 17 ουτωσ περι) quae quidem potius de exemplari hausisse quam arbitrio suo videtur correxisse. Sed accuratius videre de textu, quem secuti sunt, non in animo est. Exemplaria ad quae uterque antiquissimum Novi Testamenti textum recensebant quamvis similia essent, tamen nec deerat quod discreparet. Hinc passim accidit ut quae C^{a} adnotasset C^{b} improbaret. Ut utrumque aliquot saeculis postquam ex auctorum manibus prodisset ad codicem accessisse probabile est, ita dubito an alter ab altero longo intervallo fuerit disiunctus.

Excepit autem illos is quem C^{c} diximus, quo siglo et ipsum arctiore cum iis vinculo coniunximus. In utroque Testamento sunt quibus operam navavit, textum non modo corrigendo sed etiam variis notis adornando, quemadmodum libro Esaiae numeros sectionum addidit ac saepe per totum codicem in margine adpinxit ωραιον, eo quidem compendio quod tabula XVIII col. 3 sub finem redditum est.[1] Ductibus utebatur plerumque rudibus, cuiusmodi sunt numerorum tabula II expressorum, sed passim etiam paullo comptius scripsit atque ad scripturam C^{b} correctoris propius accessit eo quod similiter atque ille infimis quarumdam litterarum partibus caudas breves fecit. Atramento utebatur plerumque pullo ac sordido, passim fusco. Qua scripturae atque atramenti varietate non est quod offendamus: quum enim ille sine dubio longiore tempore possideret codicem atque ad pias adhiberet meditationes, teste nota illa de sententiarum pulchritudine saepe repetita, alio tempore hoc, alio illud in exemplari suo addidit. Ceterum nescio an eidem adscribam notas αρχη et τελοσ aliquoties Esaiae textui additas, ut ad 43*, 18 in commentario significatum est. In textu recensendo multum inprimis studii in librum Iob contulit; qua in re quae ab antiquiore correctore C^{a} adnotata inveniebat non raro expunxit. Eundem etiam epistulam Barnabae recensuisse verisimillimum est. Quo in libro quae notarum scriptura sit, duobus exemplis tabula XVII docet, quibus accedunt notae breviores tabula XVI expressae.

A C^{c} correctore distinximus in apocalypsi alium siglo C^{c*} insignitum. Scriptura quam adhibebat iudicari potest ad verba και εστηκει ο αγγελοσ λεγων et πεντε, quae tabula XVIII continentur, item ad εσται, quod media fere tabula XIX exscriptum est. Quae licet formis plerisque satis differant a notis C^{c}, tamen atramento cum iis conveniunt. Si non eundem auctorem habuerunt, certe aetate non videntur differre.

Neque post C^{c} deerant qui novas codici curas impenderent. Postquam enim iam dudum scriptura antiquissima mollioribus membranae partibus imposita propter pallorem passim manu haud imperita renovata esset,[2] inventus est qui multas paginas in libris prophetarum instauraret, litteras antiquas quae expalluerant atramento inducens admodum nitenti et nigerrimo, nisi mavis subfuscum dicere.[3] Quo negotio dum funge-

[1] Cf. etiam codicis Frid. Aug. fol. 20 inter alteram et tertiam paginam.

[2] Huius renovationis vestigia in tabula VII conspici licet; etiam in tabula XVI.

[3] Hac in re non satis diligenter illum versatum esse, pluribus locis ubi consimilia confudit docuimus in commentario (ubi idem est quem D^{a} et quem D simpliciter diximus). Erravit autem maxime ex itacismo vel eadem illa negligentia grammatica, qua plures codices octavi vel noni saeculi corruptos esse scimus. Nec aliter in notis suis scripsit, ut in folio 42 codicis Frid. Aug. adnotavit: εντοσ ενιαυτωσ εννεακαιδεκατοσ του ναβουχοδονοσορ βασιλεος βαβυλωνοσ ηλθεν.

batur, et notas aliquot sermone Arabico adscripsit, quae pleraeque lemmatum rationem habent, nec ab emendando textu abstinuit. Tria notarum exempla tab. XVIII col. 3 exscripsimus; ad emendationes pertinent verba κάτω ἐμβλέψαντα καί, quae e folio desumpta voluminis II quadragesimo quarto tabulae XVII addidimus.[1] Quas notas D correctoris propterea magni facimus quia Graecae quibus utuntur formae maxima cum probabilitate saeculo octavo adscribendae sunt.[2] Quod si recte vidimus, non enim facile inter peritos aliud quidquam in dubium vocari potest nisi hoc, utrum octavo saeculo an nono instaurator iste idemque corrector vixerit, probatum est, iam mille annis ante multas scripturae antiquissimae partes tantopere evanuisse ut curiose instaurandae viderentur. Neque id tum primo sed secundo factum est; passim enim in iisdem textus continui partibus, ut in ipso primo folio Esaiae, renovationis eius quae praecessit manifesta vestigia sunt.

Ab hoc librorum propheticorum emendatore distinguendus erit is quem in fragmentis Pastoris eodem siglo D notavimus. Is est qui, teste tabula XVII, prioribus Pastoris versibus aliisque eius libri partibus, ut ei folio cuius dimidia tantum pars superest, spiritus et accentus satis rudi modo addidit. In textu quae mutavit perparvi momenti sunt, ut χειρε pro χιρε, ινα pro ινε eum reposuisse eadem tabula XVII testatur.

In tempora posteriora incidunt notae illae Arabicae quas tabula XV exprimendas curavimus. Quae quum ab eodem profectae sint atque duae notae bilingues, Graecae et Arabicae, folio 128 verso additae, quarum alteram in tabulam XVIII recepimus, inter saeculum X. et XII. scriptae videntur. Ipsius saeculi duodecimi paucissima illa videntur esse, quibus E siglum in commentario praepositum est. In his est θεος ex ος factum celebri loco prioris ad Timotheum epistulae, quem tabula XVII accuratissime expressimus. In eadem tabula dedimus ἐγώ, ab eodem verbis Matthaei ει εξεστιν additum. Has correctiones nescio an ad Theophylactum illum referam qui aliquot codicis locis, ut in commentario indicatum est, nominis sui memoriam reliquit. Ad quem Dionysium quendam et Hilarionem accedere, quos quidem omnes ex numero fratrum Sinaitarum fuisse putamus, tabula XVIII testatur. Et ad Dionysium quidem fortasse erit qui notas Arabicas bilingues referat, quod pro discrimine eorum quae Graece scripta sunt satis dubium videtur.

Iam supra commemoratum est duplices quaternionum numeros quum antiquiores tum recentiores in codice inveniri. Priores summis marginibus interioribus scripti sunt, per Novum Testamentum rubro, per Vetus colore lurido; alteri exterioribus marginibus eo quo edidimus loco, atramento plerumque nigerrimo. Antiquiorum in libris Veteris Testamenti historicis et propheticis nil superest praeter ΜΓ et vestigia numeri ΝΖ; plerique toti vel ex parte supersunt in libris per versus scriptis: qui quidem omnes cum iis plane conveniunt quos manus posterior adscripsit. In Novo vero Testamento postquam per evangelia antiquiores numeri abscisi sunt, inde ab epistulis Paulinis sive a quaternione ΠΑ secundis curis addito usque ad ϘΒ vestigia antiquiorum ubique cernuntur. Utrique autem ita differunt ut numeri posteriores ΠΑ ΠΒ ΠΓ numeris antiquioribus ΠΒ ΠΓ ΠΔ respondeant atque ita usque ad finem priores posterioribus uno numero antecedant. Cuius discriminis caussa de binis numeris antiquioribus alter quisque, in quo differentia posita est, cum Ϙ toto, erasus est. Quae differentia nisi ex mera incuria fluxit, quod mihi probabile videtur, aut inter evangelia et epistulas Paulinas aut inter librum Iob et Matthaei evangelium excidisse quaternionem statuendum est. Antiquiorum scripturam numerorum aliquot exemplis (ξα, ξζ, ξθ, οβ, π... π..) reddendam curavimus tabula XVIII; quos qui compensarunt, expressi in editione suo quique loco, quamquam similes sunt scripturis C^a et D correctorum qui nobis dicuntur, tamen non tanta est similitudo ut ab alterutro horum scriptos putem. Eadem vero aetate i. e. saeculo octavo vel nono, omnino additi videntur.

[1] Alias duas eiusdem scriptoris notas in codice Frid. Aug. edidimus, fol. 37 vers. super col. 4 et fol. 42 sub col. 1.

[2] Inprimis similes sunt scripturis fragmentorum evangelii Iohannis Barberinorum et codicis Vaticani apocalypsis, quas lapidi incisas in Monum. sacr. ined. anno 1846 edidimus. Cf. ibi tab. II num. 5 et 9.

III.

Postquam uberius expositum est de laboribus in edendum codicem impensis atque etiam tot tabulis additis cuivis iudicandi copia facta est, quas et ipsas ad imitationem scriptorum quam proxime efficiendam addere placuit, in describenda similitudine quae inter editionem et codicem intercedit brevis esse potero. Primo intuitu apparet cum antiqua scriptura observatas esse columnas in quas singularum paginarum textus distinctus est et versus singulos, prout incipiunt et exeunt, atque etiam atramenti colorem magis fuscum quam nigrum quodammodo repraesentatum esse. Ut autem plurimum studii positum est in imitandis antiquarum litterarum formis atque in ipsa ea exprimenda varietate, qua eadem littera vel pro arbitrio scriptoris vel pro spatii ratione variis locis scripta est, ita etiam signa plurima ac picturas reddendas curavimus, quibus antiquissimi auctores codicis auxerunt scripturam. Neque tantum propriis formis singula quaeque exscripta sunt, verum etiam, quod maximi saepe laboris erat, diligenter spatii ratio habita est, ut suo quodque loco collocaretur. Hoc ad interpunctionem valet, ad inscriptiones, ad subscriptiones, ad numeros, ad notas. Quantopere prospectum sit ut ea spatia observarentur quibus singulae litterae seiunctae sunt, iam dictum est supra, simul notata partium libri differentia. Etiam linearum longitudo variaque forma observata est, cf. vol. IIII. pagg. 29. 73. 75. III. pag. 1 sqq. Sed est quod excipiatur. Plerumque enim simplex linea — — pro figurata – — expressa est, maxime in compendiis scripturae, quum promiscue vel hoc vel illud scribi innumeri loci doceant, ac persaepe altera ab altera vix ac ne vix quidem differat. Eadem cum licentia ϒ et Ι ubique typis exscriptum esse, quamvis scriptura inter ϒ Ϊ et ϔ Ι fluctuet, iam supra significavimus. Praeterea vero ipsum scriptorem imitati sumus ubi libidinem vel negligentiam quam ordinem ac legem sequi malebat. Scripsit ille ΤѠ omissa perperam lineola pro Τ̅Ѡ̅ IIII, 4*, 4; dedit ΙϹѠ pro Ι̅Ϲ̅Ѡ̅ IIII, 65, 9: nec ipsi correximus; numeros Ammonii et Eusebii modo duplici linea circumscripsit, modo una, modo nulla: nil mutavimus. Ex eadem subtili imitatione codicis fluxerunt *προσ* et *πετρον* in inscriptionibus paginarum 76 et 121 praeter morem scripta. Ad quae exempla iudicandum est si quid aliud passim ab ordine vel a pulchritudine recedit vel videtur recedere.

Atque haec quidem potissimum de antiquissima codicis scriptura dicta sunt. Illud enim inprimis propositum erat, ut eam textus rationem redderemus quam codex primum nactus est. Sed etiam ad exprimendas priorum correctorum scripturas antiquissimi textus editionem aliquo modo pertinere voluimus, ita quidem ut pleraque simili cum textu elegantia in marginibus adscripta minutis formis exscriberemus ac passim, quod sine singulari artificio fieri nequibat, intra versum adnotata superscriberemus. At id non ubique nec constanter factum est, multo quidem magis in Novo Testamento quam in priore Veteris Testamenti volumine; acquiescendum vero saepe in eo erat ut exscribendis correctorum notis commentarium destinaremus. Rursus in ipso textu, paucissimis exceptis, significatum est si quid punctis scripturae superpositis vel uncorum signis delendum notavit vel ipsa prima manus vel aliquis correctorum, nullo singulorum discrimine habito. Nec non ea signa expressa sunt quibus verba transponenda esse indicatum est. Contra abstinendum erat ut ab apostrophis similibusque signis, quod iam supra notatum est, ita a punctis lineis figuris exprimendis, quibus correctores ad distinguendum textum usi sunt. Quorum signorum exempla sat multa in tabulis nostris conspiciuntur; iis lineis quas diximus inprimis adornatae sunt tabulae II. V. XIII. Ipsam quidem notarum scripturam quo melius viri docti perspicerent, non satis habebamus in plerisque tabulis passim aliquid exemplorum dedisse, sed haud pauca exempla congesta vel potius delecta in tabulas XVII. XVIII. XIX recepimus; quibus etiam hoc assequi voluimus ut doceretur qua similitudine correctorum antiquissimorum scriptura satis varia illa quidem typis nostris reddi potuerit. Iis locis ubi textus antiquissimus radendo ac rescribendo mutatus est, quamvis non tam prima manus quam primus corrector (A) correxisse videretur, passim dubii eramus quid potissimum edendum esset. Videbatur autem ipsa antiquissima lectio edenda ubicunque ita perspicua erat ut oculis posset indicari; ubi vero coniectura potius nostra eliciendum erat quid prima manus dedisset, quod ex emendatione scriptum est edere malebamus, reservata commentariis coniectura. Quibus locis ne quis in errorem duceretur provisum est numeris quos omnibus iis apposuimus versibus, de quibus in commentario explicatur. Quod quidem etsi non facit ad librum ornandum, omnibus tamen gratissimum fecisse nos confidimus. Quicunque igitur loci vel manum emendatricem subierunt, sive in ipso textu emendatio

expressa est sive non est, vel nota aliqua aucti sunt, vel etiam propter mendum scripturae a nemine correctum notandi videbantur, qua quidem in re minime id egimus ut nihil praeteriretur, ii omnes numeris adpositis distincti sunt, ad quos respicientes conficeremus commentarium. Quo in conficiendo quum omnia et antiqua manu scripta et nostris exscripta typis relegeremus, pauca quae tractanda essent inventa sunt, licet careant numero.

Ceterum ne novitatem aut praestantiam eius rationis qua codicem Sinaiticum typis exscripsimus temere praedicasse videremur, tab. XIX comparationis caussa iuxta ponendos curavimus aliquot psalmi 150 versus, quemadmodum apud nos et in editione codicis Alexandrini Baberiana expressi sunt. Opus Henrici Herveii Baber, quod Vetus Testamentum totum paucis foliis exceptis complectitur, Georgii III. „auspiciis et iussu", ut est in dedicatione libri, anno 1814 (vide Prolegg. pag. XXXIII) susceptum et anno 1828, quo Prolegomena cum indicibus notarum ad tria textus antiqui volumina (1816. 1819. 1821) exierunt, absolutum est. Intra quos annos quattuordecim codice typis propriis describendo editor „labores plane Herculeos se exantlasse" fatetur (vide Prolegg. pag. XXXIV), quamvis tanta errorum copia in textum descriptum inrepserit ut ad solam Genesin plus triginta, ad dimidiam Proverbiorum paginam tres (quibus quartum accedere conieci in V. T. ed. III. pag. LXIX) in notis ipse indicaverit. Iisdem typis nuper usi sunt William Cureton et S. Prid. Tregelles ad edenda fragmenta palimpsesta, altera Iliadis Homeri (Lond. 1851), altera evangelii Lucae (Lond. 1861). Comparaturos autem nostra et Baberiana ad ea respicere velim, quae supra fol. 5* de typis ad imitandum codicem praeparatis dicta sunt. (Praeterea cf. quae in tabularum indice ad finem tabulae XIX scripta sunt.)

IIII.

Quaerenti qua aetate codex Sinaiticus scriptus sit nec nota praesto est qua ipsi scriptores tempus professi sint suum, nec quicquam a fratribus Sinaitis de origine deque historia eius libri traditum est. Antequam ipse anno 1844 fragmenta illa Veteris Testamenti ex tenebris protraxi, nemo fratrum ad folia ex longo tempore disiecta attendisse aut quid rei esset cognitum videtur habuisse, neque magis peregrinatores docti quicquam litteris consignarunt unde eos vidisse codicem aut de eo audisse conicias. Tamen ex multis saeculis in possessione monasterii S. Catharinae eum fuisse statuendum est. Qui omnium ultimi quum studiorum suorum tum ipsorum memoriam in codice esse voluerunt, Dionysium, Hilarionem, Theophylactum, circa saeculum duodecimum ex numero Sinaitarum fuisse, licet horum nominum nullum inter archiepiscopos illorum temporum inveniatur, ex annalibus monasterii fortasse ostendi poterit. Priorum temporum memoriam recolenti non negligendum est, nobilem illam pietatis antiquae arcem perfugiumque, quum circa annum 530 Iustiniani imperatoris praesidio opibusque condita esset, nunquam dirutam esse. Neque absonum fidei est, illo ipso tempore imperatoris munificentia prospectum etiam esse ut ne studiis pietatique Sinaitarum, quos permagni fecit, librorum sacrorum supellex deesset, quae vix aliunde quam ex Alexandria, codicum laudatissimorum patria, calligraphorum sede celeberrimorum, arcessenda erat. At nihil hac via inveniri potest quod ad aetatem codicis accuratius definiendam faciat. Sive enim illo ipso tempore sive alio ad monasterii subsidia perveniebat, aliquot saeculis ante poterat scriptus esse. Qui quum hodieque, exceptis plerisque paginis mollioribus, tanta scripturae pulchritudine sit ut primorum quae prelo exibant bibliorum aetatem aequare videatur, aetate Iustiniani non poterat non eximiam novitatis speciem prae se ferre.

Sed non deest alia via quae scite ac probe inquirentem ad maximam probabilitatem ducat. Quibus verbis augustissimo imperatori hoc opus tradidi, ea hoc loco non possum quin repetam, nullum omnium quae supersunt monumentorum similium tam luculentis indiciis veterrimae nobilitatis vel, ut rectius dicam, venerandae vetustatis praeditum esse affirmans. Quibus enim argumentis codici celeberrimo Vaticano, qui solus cum Sinaitico comparari potest, praecipuam antiquitatis laudem cum Hugio et alii et ipsi vindicamus, eadem non modo prorsus in Sinaiticum codicem quadrant, sed etiam aliis augentur confirmanturque, quibus non minima inest auctoritas. Si quis igitur Vaticani codicis vetustatem

cognitam comprehensamque habet, ut Sinaitico parem vel maiorem laudem tribuat, non nostra commendatione vel studio opus habet, sed ratione et intellegentia ipse cogitur. Qui vero petulantia ingenii gestire malunt quam severis studiis verum quaerere, aut imbecillitate animi quadam impediuntur quominus sentiant verum, eos nil morari quam docere praestat. Fit etiam ut cum hominibus ipsae res omnium maxime praecellentes invidiam habeant; invidia vero ut ab omni probitate, ita a discendo alienissima.

Primum antiquitatis argumentum in scriptura positum esse constat. Codicis Sinaitici scriptura formas unciales habet eiusmodi ut inter codices membranaceos quos novimus antiquissimos omnes antiquitatis specie excellat, proxime etiam, si ab iis rebus discedamus quae papyris propriae sunt, ad papyraceorum nonnullorum ipsorumque voluminum Herculanensium usum accedat. Quod ut ipsis oculis iudicari posset, tabulis XX et XXI scripturas triginta sex repraesentavimus quae, una vel duabus septimi fere saeculi exceptis, prioribus sex p. Chr. saeculis a viris rei palaeographicae peritis adscribuntur. Tabulae XX columna prima e solis papyris constat; sumpsimus autem exempla priora quinque ex voluminibus Herculanensibus, sextum ex Hyperide Thebaico, septimum e fragmento Saquarensi, quod quum Beduini in necropoli Memphitica effodissent, cum aliis similibus anno 1853 Saquarae dono Marietti viri cel. ad nos pervenit. Hoc autem tanta codicis Sinaitici similitudine insigne est, ut litterae omnes ex eo ipso exscriptae videantur. Columnarum alterius et tertiae primum locum occupat exemplum Octateuchi Origeniani, cuius fragmenta a Sarravio plerumque dicta Parisiis Leidae et Petropoli servantur. Sequuntur quinque codicis bibliorum Vaticani exempla, quorum duo extrema scripturam novo atramento inductam praebent. Haec excipiunt fragmenta evangelii Iohannis Borgiana et fragmenta Iohannis palimpsesta Londinensia (N^b). Tertia columna conspiciuntur duae scripturae Dionis Cassii Vaticani, quas sequuntur duo exempla e Cottonianis Genesis fragmentis exscripta. Alteri additus est versus e libro palimpsesto antea nostro nunc Petropolitano. Porro exemplum Alexandrini bibliorum codicis datum est cum fragmento librorum Regum palimpsesto Londinensi. Denique infimam columnarum secundae et tertiae partem exempla codicis Ephraemi Syri rescripti occupant, alterum Veteris, alterum Novi Testamenti. Nihil membranarum, unde haec exscripta sunt, saeculo quinto posterius videtur; ceteris vero aetate antecedere putamus Octateuchum Sarravianum et biblia Vaticana. Quae autem tabula XIX repraesentata sunt, vel quinto saeculo (I^1 I^2 I^3 Q) vel sexto (I^4 I^7 P N Num^{petr} R D^{clar} D^{sang} E^{laud} Gen^{vind}) vel septimo ($Galen^{sang}$ Θ^{tisch}) adscribenda ducimus. Quibus omnibus diligenter inter se comparatis facile plura cognoscentur quibus differunt quae diximus aetate differre. Qua in re quid inprimis valeat quaerenti adtendendum est ad constantem formarum partim quadrarum partim rotundarum sinceritatem, a qua quidem antiquissimi libri ne tum quidem discedunt ubi, ut saepissime fit versu exeunte, propter spatii angustias litterae adhibentur minutiores. Talis scribendi munditia ut in Sinaitico codice, in Vaticano, in Alexandrino, in Ephraemi rescripto, in Octateuchi fragmentis Sarravianis, in altero Dioscoride Vindobonensi, in altero palimpsesto evangeliorum Guelferbytano (Q), in Genesi Cottoniana, in Dione Cassio Vaticano, item in aliis nonnullis sacri textus fragmentis invenitur: ita non amplius plena mansit in altero Dioscoride Vindobonensi, quem ineunte saeculo sexto scriptum esse ipse scriba testatur, nec magis in aliis eiusdem aetatis codicibus, quales sunt Genesis purpurea Vindobonensis, Numerorum liber palimpsestus Petropolitanus, alter evangeliorum codex palimpsestus Guelferbytanus (P), Lucae fragmenta palimpsesta Londinensia (R). Sed in tabulas nostras ex codicibus saeculi sexti nihil formarum eiusmodi obliquarum sive productarum recepimus, quoniam non modo insolentiora haec quae raris locis habent, sed universum quo scripti sunt litterarum genus a scriptura codicis Sinaitici similiumque vehementer discrepat. Ad eam enim quam diximus munditiam alia accedit virtus, quam formarum simplicitatem dicere possumus. Haec in eo cernitur quod Є et C litterae nondum in crassiora puncta exeunt cuiusmodi in exemplis nostris plerisque inveniuntur, quod Τ et Γ, quibuscum Κ quodammodo convenit, lineam transversam magis aequalem quam crassioribus punctis innixam praebent, quod Λ litterae linea inferior nullis ad extremas partes punctis ornatur. Accedit quod Λ in acutum desinere solet; quamquam rotunda species papyris nonnullis aeque ac scripturis iis Graecis quae a Coptis pendent propria est. Praeterea antiquiores codices saepissime Ι et Υ tuentur, quemadmodum in papyris fit, ubi posteriores Ϊ et Ϋ tueri solent: cuius rei ipse codex Sinaiticus testis est, in quo innumeris locis correctores Ϊ et Ϋ pro Ι et Υ reposuerunt. Ut breviter dicam, quo antiquior est scriptura, eo magis artificio atque ornatu artificioso vacare, et nativam quandam pulchritudinem prae se ferre solet. Quam ad normam si quae scripturarum exempla dedimus exiguntur, in membranis nil invenitur quod Sinaiticam scripturam antecedat; simillimae vero ei sunt scripturae bibliorum Vaticanorum et

Octateuchi Sarraviani. Magnitudinem litterarum quod attinet, hac illi re non magis quam volumina Herculanensia inter se differunt. Ac non in iis tantum concordant quae ad definiendam aetatem praecipuam vim habent, sed eiusmodi etiam res atque formas communes habent quae maxime a singulorum scribarum arbitrio atque usu videantur pependisse: unde eandem eos patriam habuisse atque ex eadem prodisse schola concludas. Huc pertinent formae minutissimae exeuntibus versibus adhibitae, duplex forma Ϻ et Ν, quarum posterior in titulis et subscriptionibus celebratur, forma ω pro ω pariter in Vaticano atque in Sinaitico codice inventa, signum › ad finem versuum additum. Quae cognatio alia re gravissima augetur, nondum enim initialium quas vocant litterarum usum habent. Contra habent antiquissimae membranae tabulis nostris repraesentatae, exceptis fragmentis Iohanneis palimpsestis N^b, reliquae omnes. Transiit illa scripturae aequalitas a papyris ad membranas, sed iam inde a quinto saeculo desuefacta videtur esse. Rursus in taxanda scriptura non parvi momenti interpunctionis ratio est. Haec in Sinaitico codice exceptis paucis et simplicissima et rarissima, ita quidem ut integrae columnae haud paucae nil punctorum habeant atque etiam plurimae textus continui series medio versu sine puncto terminentur, saepe vero continua verba nulla alia re nisi vacuo distinguantur spatio. Rursus hac in re codici Sinaitico cum papyris et Vaticano codice, nondum satis accurate excusso illo quidem, maior est similitudo quam cum aliis monumentis iisque ut videtur posterioribus.

Denique hae virtutes ad probandam summam codicis Sinaitici antiquitatem tanto plus valent, quoniam eorum quos in scribendo adornandoque eo partes habuisse diximus nullus, utut differunt, a communi ratione discedit.

Ad aliud argumentum pergimus scripturae proximum. Palaeographiae Graecae studiosi facile memores erunt quantopere Leonhardus Hug in ea quam anno 1810 de antiquitate codicis Vaticani scripsit commentatione delectatus sit textu Vaticano qualibet pagina in tres columnas distincto, ita ut, „si liber expansus ob oculos ponatur sex columnas simul uno intuitu complectamur.“ Hinc „superficiem libri vix non praebere speciem prisci voluminis“ dicit concluditque, inde eximiam eius vetustatem esse verbis his: „Singularis haec forma codicis docet eum scriptum fuisse quo tempore a voluminibus ad libros transitum, atque eorum prisca facies, cui oculus iam insueverat, retenta est, quo voluminibus quantum fieri poterat libri quam simillimi essent, et rei novitas coniunctam vetustatis speciem propagaret.“ Quam vero ille Vaticani codicis laudem praedicat, eam Sinaiticus exsuperat eo quod, exceptis pariter atque in Vaticano libris poeticis sive stichometricis, quavis pagina non tres sed quattuor columnas exhibet, ita ut expanso libro octo columnas uno intuitu complectamur, etiam maiore prisci voluminis specie decepti. Ut autem Vaticana quidem ratio in perpaucis aliis, ita Sinaitica in codice alio nullo inventa est.

Alia insignis antiquitatis argumenta, quae rursus Sinaitico codici inprimis cum Vaticano communia sunt, quum orthographia tum universa ea ratio grammatica praebet, quae nominum declinatione verborumque coniugatione et syntaxi a sinceritate Graeca multifariam discedit. Utramque enim rationem posteriorum codicum auctores ad communem Graecorum usum accommodare quam ex antiquioribus libris, ad quos ni fallor ab ipsis scriptoribus sacris transierat, fideliter transcribere maluerunt. Accedit librorum Novi Testamenti ordo, qui eo quod cum antiquissima Syrorum interpretatione actus apostolorum epistulis Paulinis postpositos habet, ad illa tempora quadrat, quibus ordo antiquissimorum codicum reliquorum, Vaticani, Alexandrini, Ephraemi Syri, nondum usu receptus ac stabilitus erat. Accedunt etiam singulorum Novi Testamenti librorum et inscriptiones et subscriptiones antiqua simplicitate excellentes, quemadmodum *πραξεισ* nude positum apud patres quidem passim, sed in nullo quod sciam codicum nostrorum invenitur.

Quod in Notitia huius editionis susceptae pag. 13 a capitulis Ammonii cum Eusebii canonibus argumentum sumpsi, plus quam necesse est probare cuipiam videri possit. Ista enim harmoniae evangelicae instrumenta quum non modo iam circa medium saeculum quartum in communem usum abisse testentur Caesarius (in iis qui eius nomine circumferuntur dialogis), Epiphanius (in ancorato quem anno 374 scripsit) atque Hieronymus, qui, ut Damaso scripsit, nec a Latinis abesse volebat, sed etiam dubitari nequeat quin ipse Eusebius in codices illos quinquaginta Constantini imperatoris iussu anno 331 scriptos curaverit recipienda, a quo inde tempore codicum principalium aemulos exstitisse plurimos maxime probabile est, in codice Sinaitico ab initio addi poterant, etiamsi ante medium saeculum quartum vel ipsius Eusebii aetate scriptus est. Quam enim Vaticanus codex habet aliam ac peculiarem textus evangelici distinctionem iusto pluris fecisse Hugium, nuperrime eo est probatum

quod in codice palimpsesto Lucae Zacynthio octavi fere saeculi eadem inventa est. Quamvis enim Ammonii Eusebiique ratio plerisque probaretur, tamen alia etiam, quo aemulatio valere debebat, et institui et repeti poterat. In Sinaitico vero codice res ad diiudicandum perdifficilis. In ipsa quidem scriptura numerorum, quos typis edidimus atque accuratius pluribus tabulis expressimus, nihil est ab aetate ipsius codicis alienum. Esse autem eos correctionibus A posteriores, eo probatur loco quem tabula VI columna tertia repraesentat; at ista correctio quamvis non sit ad D auctorem codicis referenda, ipso codice vix multo recentior est. Plus valiturum esset si lineas quas multas variaeque formae B corrector prioribus Matthaei capitibus ad distinguendum textum intulit numeris illis antecessisse ostendi posset; at id quamvis pluribus locis confirmetur non satis evidens est. Illud quidem manifestum est, auctorem officio parum satisfecisse suo; in Luca enim a sectione ϙϛ reliquos omnes praetermisit:[1] quae negligentia facilius subrepere potuit si quis posteaquam codex exiit numeros supplevit, quam si ab initio codici destinati erant in eoque conficiendo locum habebant. At nec hoc dubitatione exemptum est. Quae quum ita sint, non cautum duco in definienda codicis aetate multum his numeris tribuere auctoritatis.

Aliud cum hac re cohaeret idque manifestius est. Quum enim codices evangeliorum Graeci antiquissimi nostri, A C Z P R E L etc.[2] maioribus evangeliorum capitulis instructi sint, quae quin iam ante Euthalii aetatem pervulgata fuerint non dubium est, soli Sinaiticus et Vaticanus ea non habent.

Nec vero parvi faciendum quod codex Sinaiticus tanquam ad ipsum canonem pertinentes Barnabae epistulam et Pastorem praebet. Quum enim probe scimus saeculis secundo et tertio utrumque hunc librum ad canonicam auctoritatem adspirasse et a multis revera inter canonicos receptum esse, cuius rei testes luculentos habemus prae ceteris Clementem Alexandrinum et Origenem, atque etiam circa annum 325 Barnabae epistulam et Pastorem cum actibus Pauli et apocalypsi Petri[3] inter ἀντιλεγόμενα i. e. dubiae auctoritatis libros recepisse Eusebium (hist. eccl. 3, 25), quocum egregie consentit index ille canonicorum librorum codici Claromontano medii fere saeculi sexti additus sed ipso haud dubie aliquot saeculis antiquior (— „Barnabae epistula,[4] Iohannis revelatio, actus apostolorum, Pastor, actus Pauli, revelatio Petri“), tum inter omnes constat exeunte fere saeculo quarto (i. e. in conciliis Laodiceae anno 364 et Carthagine anno 397 habitis) de canonicis ecclesiae libris publice praeceptum esse nec vero Barnabam aut Pastorem locum in iis habuisse. Qua in re quae codici Sinaitico consensio intercedit cum Eusebio atque codicis Claromontani canone, augetur etiam eo quod inter Barnabam et Pastorem sex folia exciderunt, quibus tertium ex antilegomenis Eusebii scriptum fuisse perquam probabile fit; neque magis codex ad finem integer superest, deperdita ipsius Pastoris maiore parte. Quando vero talem codicis biblici magna cum cura atque elegantia adornati modum placuisse putemus? Quod diu mihi multumque reputanti etiam illud quaerendum videbatur quos potissimum Novi Testamenti libros Eusebium in exemplaria ad imperatorem mittenda recepisse probabile esset. Qua de re in duas partes discedi potest: aut enim nihil recepit nisi quod pleno omnium ecclesiarum consensu comprobatum esset, aut nihil exclusit nisi quod pleraeque respuerent. Ut illud tutius erat et cum pace facile omnium fieri poterat, quum ab usu removeri posset quod displiciturum esset, ita ac horrogantiae plenum erat et odiosum, antequam publice quicquam praeceptum esset, propria vi et arbitrio a canone excludere quae multis sancta habebantur.[5] In re tam gravi atque inprimis obloquendi libidini obnoxia episcopum prudentem mandato imperatoris liberaliter rei Christianae prospicientis ita satisfecisse puto, ut quam plurimis gratum faceret et quantum posset a se arceret calumniam, licet omnia promiscue

[1] Desunt etiam foliis 10 et 15, quae unum integrum quaternionis folium efficiunt, a D scriptis. Quae res ne cui in indaganda omnium horum numerorum origine gravis videatur, vetat alterum foliorum par, ab eodem D scriptorum, 28 et 29, quibus non desunt numeri.

[2] Excipiendus tamen est D codex Graecus et Latinus Cantabrigiensis, quod inde explicandum videtur quia Italus eiusdem codicis textus, a quo ipsum Graecum pependisse certum est, nihil eiusmodi praebuit.

[3] His quattuor libris apocryphis Eusebius videtur priores partes detulisse, posthabitis apostolorum institutionibus et, cuius postremo loco meminit (ἤδη δ' ἐν τούτοις τινὲς καὶ τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγ. κατέλεξαν), evangelio secundum Hebraeos. Quam in rem cum 3, 25 cf. etiam 3, 3. 6, 13 et 14. Alibi (3, 16 et 6, 13) etiam Clementis epistulam simili laude exornat.

[4] Quibus hoc nomine epistula ad Hebraeos significari nuper visa est, assentiri non possumus.

[5] Quae ἀντιλεγόμενα et νόθα vocat, eadem γνώριμα τοῖς πολλοῖς et ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις παρὰ πολλοῖς δεδημοσιευμένα (3, 25 et 31) dicit.

ab eo recepta esse quae in hist. eccl. ἀντιλεγόμενα dixisset minime contendi possit. Quae si recte disputata sunt, exemplar Sinaiticum ad normam Eusebii egregie conformatum videtur, additis ad finem quae nobilioribus antilegomenis (quinque illis epistulis catholicis cum apocalypsi) proxima erant et tamen cedebant auctoritate. Simile vero exemplum aliud nullum habemus. Vaticanus enim codex quum inde a cap. 9. epistulae ad Hebraeos mutilus sit, certe non potest ab iis quae ignorantur commendationem habere. Alexandrinus vero codex, in quo scriptis canonicis duae quae feruntur Clementis epistulae adiunctae sunt, etsi testetur potuisse etiam quinto saeculo, quo propter idoneas caussas scriptus creditur, unum vel alterum veterum antilegomenon, quod passim etiam invitis conciliis in publico usu esset, cum canonicis coniunctim edi, tamen nihil cum canone Eusebii aut Claromontano illo commune habet. Ceterum ista codicis Sinaitici ratio per se spectata non eam vim habet ut medio saeculo quarto nos eum cogat adscribere; certe enim poterat etiam quinto saeculo tale quid repeti; sed multo est verisimilius id tum factum esse quum fieri posset cum quadam doctorum ecclesiae auctoritate.

Quarto vero saeculo dum adscribimus biblia Sinaitica, quaeritur an forte erroris nos convincant quae libris Esdrae et Estherae posteriore manu subscripta sunt. Haec enim qui scripsit testatur utrumque illum librum in codice Sinaitico ad exemplar collatum esse „antiquissimum“, ab ipso Pamphilo captivo recognitum.[1] At minime contraria ista sunt nostrae de aetate codicis sententiae. Spectant enim ad ea quae a C^a et^b correctoribus nostris ineunte fere saeculo septimo in illis libris mutata sunt. Illo tempore codex Sinaiticus, qui etiamnum, i. e. duodecim saeculis post, maximam partem pulcherrimus est, haud dubie satis novus videbatur. Pamphili vero exemplar a manu eius certissimum venerandae vetustatis indicium habebat. Praeterea exemplar illud minime tum videtur scriptum esse quum recognoscebat Pamphilus: id ipsum in eo inest quod Pamphilus ad Hexapla Origenis mutatum esse[2] dixit; nondum igitur Origenis studia expertum erat. Qui vero notam codicis Sinaitici sive Friderico-Augustani scripsit, duas virtutes exempli illius laudat, quod et antiquissimum esset et manu Pamphili recognitum. Quum autem tertio saeculo vel ineunte vel medio scriberetur, papyro potius quam membrana constabat,[3] unde antiquitatis species aliquot saeculis post, papyro dudum desuefacto, mirum in modum augeri debebat.

Ab istis vero correctorum notis discedere non possum quin moneam, quantam antiquitatem etiam tantus correctorum veterrimorum numerus testetur, qui quidem omnes praeter ultimum paucarum notarum auctorem uncialibus litteris usi sunt. In nullo alio codice simile quicquam observatum est. Accedit quod, ut supra indicatum est, iam octavo saeculo multarum paginarum scriptura tantopere expalluerat ut novum litteris atramentum induceretur, neque id tum primum sed secundum factum est, licet quando prior renovatio suscepta sit accuratius definiri non possit.

Sed ut alia praeteream quae huc trahi possint, reliquum est longe gravissimum summae antiquitatis argumentum, in eo quem codex Sinaiticus continet textu positum. Quod quum iis quae ad universam textus rationem significandam scripta sunt infra plene cumulateque doceatur, hoc loco satis erit selectis paucis iisque manifestis luculentisque exemplis uti. Marci evangelium ex vetere consuetudine sic editur ut caput extremum versus viginti complectatur. Nec aliter illud habent codices Graeci nostri laudatissimi saeculorum ut videtur quinti et sexti, Alexandrinus Londinensis, Ephraemi Syri Parisiensis, Bezae Cantabrigiensis, cum uncialibus reliquis quattuordecim et minusculis omnibus, item codices Itali septem cum Vulgatae omnibus, Syriaci omnes, interpres Gothus, alii. Nihilominus Eusebius ad Marinum testatur, in accuratis

[1] Haec ad finem libri Estherae adnotata sunt: ἀντεβλήθη πρὸς παλαιώτατον (sic) λίαν ἀντίγραφον δεδιορθωμένον χειρὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Παμφίλου· πρὸς δὲ τῷ τέλει τοῦ αὐτοῦ παλαιωτάτου βιβλίου ὅπερ ἀρχὴν μὲν εἶχεν ἀπὸ τῆς πρώτης τῶν βασιλειῶν εἰς δὲ τὴν Ἐσθὴρ ἔληγεν· τοιαύτη τις ἐν πλάτει ἰδιόχειρος (ex ω correctum est) ὑποσημιώσια (corr. -μειωσια) τοῦ αὐτοῦ μάρτυρος ὑπέκειτο ἔχουσα οὕτως: μετελήμφθη καὶ διορθώθη πρὸς τὰ ἑξαπλᾶ Ὠριγένους ὑπ' αὐτοῦ διορθωμένα· Ἀντωνῖνος ὁμολογητὴς ἀντέβαλεν· Πάμφιλος διόρθωσα τὸ τεῦχος ἐν τῇ φυλακῇ· διὰ τὴν τοῦ θεοῦ πολλὴν καὶ χάριν καὶ πλατυσμόν· καὶ εἴγε μὴ βαρὺ εἰπεῖν τούτῳ τῷ ἀντιγράφῳ παραπλήσιον εὑρεῖν ἀντίγραφον οὐ ῥάδιον: — διαφωνεῖ (sic) δὲ τὸ αὐτὸ παλαιώτατον βιβλίον πρὸς τόδε τὸ τεῦχος εἰς τὰ (corr. τινα) κύρια ὀνόματα. Eadem in brevius contracta ad finem libri Esdrae leguntur.

[2] Alia enim significatione μετελήμφθη vix dictum est. Ceterum Pamphilus ultimis verbis ei ipsi quem recognoverat codici eximiam laudem tribuit.

[3] Bibliotheca Pamphili Caesareensis maxime papyris ab initio composita videtur fuisse; Hieronymo enim teste ep. 34. (141.) „ex parte corruptam Acacius et Euzoius in membranis instaurare conati sunt.“

exemplaribus fere omnibus[1] extremos versus duodecim deesse, quod testimonium etiam Hieronymus confirmat, scribens Hedibiae „omnes Graeciae libros paene hoc capitulum non habere“. Quum igitur plus quingenti codices Graeci a quinto inde saeculo scripti miro consensu eos exhibeant versus, quos Eusebius ante annum 340 (quo mortuus est) in plerisque codicibus non inventos testificatur, soli contra stant codices Sinaiticus et Vaticanus, Eusebianae aetatis consuetudinem fideliter testantes.[2] Plus etiam, ut videtur, locus epistulae ad Ephesios probat. Huius enim in principio codices Graeci et interpretes et patres magna consensione testantur verba *εν εφεσω* verbis *τοισ ουσιν* adposita. Tamen Origenem scimus *εν εφεσω* non legisse (cf. Nov. Test. ed. meam VII. ad h. l.), et Basilius medio fere quarto saeculo priorum temporum doctores pariter ac veteres sui temporis codices testari perhibet *τοισ ουσιν* absque *εν εφεσω* scriptum esse,[3] quemadmodum nec Marcionem aliter legisse probabile est. Post Basilium nemo amplius eius lectionis meminit; quid quod Hieronymus, quum Origenis commentarium ad suum conficiendum vel maxime adhiberet, verba magni magistri ex ipso quem ante oculos habuisset textu potius quam ex „curiosiore“ interpretatione pendere non adsecutus videtur. (Cf. Nov. Test. meum l. l.) Iam vero soli codicum omnium Sinaiticus et Vaticanus,[4] uterque a prima manu, cum „veteribus“ Basilii codicibus conveniunt.[5]

His lectionibus alias adiungamus, quas in codicibus temporis sui se invenisse testati sunt veteres et tamen vel nullus vel paucissimi codices ad haec tempora conservarunt. Primo omnium loco ponendus est Matthaei versus 35. capitis 13. Hunc Hieronymus testatur Porphyrium saeculo tertio ita scriptum invenisse ut cum verbis *δια του προφητου* nomen *ησαιου* coniunctum esset. („Denique et impius ille Porphyrius proponit adversum nos hoc ipsum et dicit: *Evangelista vester Matthaeus tam imperitus fuit ut diceret — — per Esaiam*“.— —.) Quod quum ipse in suis non amplius inveniret codicibus, „postea a prudentibus viris sublatum“ arbitratus est, etsi Porphyrii textum etiam Eusebius ad psalmum 78. cum Clemente in homiliis 18, 15. testatur.[6] Iam vero lectio saeculi tertii in codicibus Graecis uncialibus periit omnibus, in omnibus pariter versionibus: non item in Sinaitico libro, in quo revera a prima manu scriptum est *δια ησαιου του προφητου*, accedentibus codd. minusculis 1. 13. 33. 124. 253. Aliam Porphyrii lectionem Hieronymus ad Ioh. 7, 8. testatur, ubi Iesu verbis *ουκ αναβαινω* abusum eum esse refert. Etiam haec ex plerisque libris expulsa est, Vaticano non excepto; conservarunt vero praeter interpretes multos de quingentis codicibus Graecis nostris Sinaiticus et Cantabrigiensis cum aliis sex. Ad Luc. 7, 35. Ambrosius in commentario „plerosque Graecos“ „ab omnibus operibus suis“ tueri testatur. Nihilominus codices nostri ad unum omnes *τεκνων* pro *εργων* habent; non item Sinaiticus, in quo revera scriptura codicum Ambrosii superest.[7] Ioh. 1, 4. in omnibus codicibus Graecis excepto solo Cantabrigiensi scriptum est *εν αυτω ζωη ην*. Quod vero Origenes ex suis laudat codicibus aliique scriptores antiquissimi cum interpretibus confirmant, *εν αυτω ζωη εστιν*, cum Cantabrigiensi solus Sinaiticus conservavit. Marcum in evangelio 11, 1. a Matthaeo et Luca dissentientem *και εισ βηθανιαν* edidisse Origenes scripsit. At omnium Graecorum codicum soli Sinaiticus et Cantabrigiensis istam scripturam fideliter tradiderunt. Ad Ioh. 17, 7. Chrysostomus notavit: *τινεσ μεν γαρ λεγουσιν οτι νυν εγνων* etc. Ita vero in Sinaitico eoque solo scriptum est. In Luca 11, 4. Origenes Augustinus aliique testantur verba *αλλα ρυσαι* etc. non addita esse. Tamen ex Graecis codicibus non omittunt nisi Sinaiticus BL et minusculi aliquot, de interpretibus Latinus vulgatus et Armenus.[8]

[1] *τὰ γοῦν ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων . . . ἐφαβοῦντο γάρ· ἐν τούτῳ γὰρ σχεδὸν ἐν ἅπασι τοῖς ἀντιγράφοις τοῦ κατ. μάρκ. εὐαγγ. περιγέγραπται τὸ τέλος.* Cf. Nov. Test. ed. meam VII. ad h. l.

[2] Ex Latinis solus accedit codex Italae Taurinensis olim Bobbiensis, qui ipse ad quartum saeculum referendus videtur. Tamen etiam tres versiones orientales, Armena, Aethiopica, Arabica, dissidentibus quidem codicibus longe plerisque, eandem antiquissimi textus rationem confirmant.

[3] Cf. 1, 255. *οὕτω γὰρ καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν.*

[4] Ex hoc vel alio fonte persimili fluxerunt quae secundis curis inlata sunt codici Vindobonensi epp. Paulin. apud nos numero 67. signato. In his est etiam quod verba *εν εφεσω* punctis notantur.

[5] Hoc maxime loco Hugius l. l. pag. 26. usus est ut codicem Vaticanum „in ea tempora reponeret quae Basilium nondum viderunt.“

[6] Uberiora et accuratiora quaerenti et ad hunc locum et ad eos qui sequuntur satisfaciet commentarius criticus editionis Novi Testamenti meae maioris septimae.

[7] Similis ratio est loci paralleli apud Matthaeum, ubi cum „codicibus quibusdam“ Hieronymi consentiens codex Sinaiticus eandem scripturam praebet, accedentibus Vaticano, minusculo 124. pluribusque versionibus.

[8] Contra 11, 2. Origenis testimonium Sinaiticus deserit, non item BL.

Quod Isidorus († 434) Hebr. 9, 17 in „antiquis codicibus“ se reperisse testatur, μη τοτε pro μη ποτε, id omnium soli Sinaiticus et Claromontanus tuentur. Ad Ioh. 12, 32 Augustinus adnotavit: *non autem dixit omnes sed omnia.* Nihilominus Graecorum codicum soli Sinaiticus et Cantabrigiensis cum minusculo uno παντα habent. Quod Luc. 24, 13 edi solet, oppidum cui nomen Emmaus σταδιους εξηκοντα ab Hierosolyma abfuisse, parum cum eo concordat quod Eusebius et Hieronymus testati sunt, Nicopolin idem esse oppidum, distans ab Hierosolyma paene centum et sexaginta stadia. Quum igitur illos non ita existimaturos fuisse appareat, nisi εκατον εξηκοντα in codicibus suis invenissent, hoc ipsum cum nonnullis aliis Sinaiticus codex praebet.[1]

His igitur locis quas lectiones tertii ac quarti saeculi scriptores ex codicibus suis protulerunt, dissidentibus vel omnibus vel paene omnibus codex Sinaiticus nobis conservavit. Nec vero minus momenti in iis est locis ubi quem textum in libris suis exscripserunt veteres vel interpretes primi expresserunt, eundem codex Sinaiticus Graecorum omnium praebet solus. Istiusmodi sunt: Matth. 18, 24 ubi solus cum versionibus Copta et Sahidica Origenis textum confirmat, sexies scribentis πολλων pro μυριων: Ioh. 13, 10 ubi solus Sinaiticus cum Latinis paucis confirmat Origenem, ουκ εχει χρειαν νιψασθαι sexies scribentem sine additamento, in quo maxime fluctuant: Rom. 5, 7 ubi solus Sinaiticus cum Origene solo μογις pro μολις praebet: Matth. 7, 13 ubi lectionem Clementis et Origenis atque Latinorum codicum antiquissimorum η πυλη praetermittentium solus Sinaiticus confirmat: 2. Petr. 1, 4 ubi solus Sinaiticus eum praebet textum quem Hieronymus reddidit: *eam quae in mundo est concupiscentiam corruptionis*, την εν τω κοσμω επιθυμιαν φθορας: Ioh. 19, 38 ubi Sinaiticus solus lectionem ab antiquissimis codicibus Latinis Sahidico et Syro Hierosolymitano expressam custodivit, ηλθον ουν και ηραν: Marc. 1, 5 ubi solus Sinaiticus cum Origene et duobus codicibus Latinis και λεγων omittit: Luc. 6, 35 ubi idem solus μηδενα απελπιζοντες praebet, quod omnes Syri interpretes reddiderunt: Marc. 7, 3 ubi solus πυκνα praebet quod expresserunt Coptus, Gothus, Syrus posterior et Latini aliquot: Ioh. 6, 51 ubi solus textum verissimum servavit, quem Tertullianus cum auctore Speculi secutus est: *panis quem ego dedero pro salute mundi caro mea est:* Ioh. 2, 3 ubi solus textum prorsus Iohanneum interpretum Latinorum vetustissimorum et Aethiopis, notatum etiam in margine Syrae posterioris, servavit, etsi iam eadem aetate vulgata lectio sit superscripta.

Sed haec iam satis sunto. Satis enim erunt ad ostendendam mirificam textus istius indolem, qua maxima cum fide confirmatur, codicem Sinaiticum propius Vaticano ceterisque omnibus ad similitudinem eorum accedere codicum, quibus summa Christiana antiquitas utebatur. In ponderandis autem omnibus his summae antiquitatis argumentis haud negligendum est quod coniuncta se offerunt, neque quicquam est quod contra valeat.

V.

At quae prolata sunt lectionis exempla quamvis gravissima nondum satis ad docendum putamus esse, quae universa textus Sinaitici ratio sit, et quem ei locum in instrumentis textus sacri ad integritatem apostolicam revocandi tribuendum existimemus.[1]

Laudes vero antequam perscripturi simus, quid eas imminuat dicemus. Imminuit enim, ut multis videbitur, magna scripturae vitiositas, quae ne tot quidem correctorum studiis plane remota est. At coniunctam habet illa quidem, quamvis sit molesta, virtutem haud contemnendam. Orta est enim inde quod qui scribebant calligraphi Alexandrini, ut scribendi usu et dexteritate excellebant, ita parum Graece sciebant.[1] Fecit autem haec litterarum Graecarum inscientia ut quod propositum esset fideliter ac quasi serviliter describerent, alienissimi ab omni emendandi studio. A quo studio quum integritatem textus sancti prioribus p. Chr. saeculis plurimum detrimenti cepisse constet, ipsa ignorantia describentium quod prodesset continebat.

[1] Hoc in eos maxime codicis scriptores cadit quos B et A diximus, quorum hic totum fere Novum Testamentum scripsit, ille prophetas et Pastorem.

Universam vero textus indolem breviter significaturo tria potissimum lectionum genera constituenda videntur, in quae describantur singulae. Primum eas complectitur quae probant, quam mira sit consensio Sinaiticum inter et Vaticanum simillimosque reliquos codices Graecos. Alterum quas dissentientibus illis sociis auctoritate gravissimorum patrum atque interpretum commendatas praebet. Tertium quas omnium qui supersunt testium solus conservavit. Quae quo iure dicta sint, idoneis probabimus exemplis; plus enim quam exemplorum aliquid dare non in animo est.[1]

Ac primum quidem genus quum ad innumeros locos pertineat, quibus testes veterrimi luculentissimique, ut ABC, BDL, consentientes docent quid prima aetas Christiana in sacris libris scriptum invenerit, ad demonstrandum id quod volumus non adhibebimus nisi lectiones eiusmodi quas Sinaiticus codex vel cum B solo vel cum uno atque altero sociorum eius tuetur, ita quidem ut omnia excludamus quae cum tribus ac pluribus communia habet. Quod enim paucissimis commune est, id singularem eorum cognationem probat maxime, ac vero eo magis probat quo magis arbitrio patebat.

Cum א ex codd. Graecis omnibus solo Sinaiticus haec habet: Matth. 3, 2. λεγων pro και λεγων accedentibus versionibus aliquot 6, 14. ο δε διακωλυεν accedente Sahidica 3, 16. ερχομενον pro και ερχ. accedentibus verss. aliquot 5, 1. προσηλθαν 6, 8. ο θεος ο πατ. υμ. accedente Sahidica 6, 22. η ο οφθ. σου 8, 8. αποκριθ. δε accedente Sahidica 9, 2. αφιενται accedente Origene 9, 5. αφιενται (Sinait.**) 10, 2. και ιακωβος accedente d 11, 8. omittit εισιν 12, 15. omittit οχλοι accedentibus it[plur] vg Eusebio 12, 24 et 27. βεεζεβουλ 13, 17. ειδαν 13, 36. διασαφησον accedente Origene 14, 3. εδησεν και εν φυλακη απεθετο 14, 30. omittit ισχυρον accedente Copta 16, 13. τινα sine με accedentibus verss. multis 18, 24. εις αυτω 19, 24. τρηματος accedente Origene[cod] 20, 21. δεξιων sine σου 25, 4. λαμπ. εαυτων 25, 16. ευθεως πορευθεις sine δε accedentibus it[2] 25, 27. τα αργυρια accedente Syr[utr] 27, 44. συν αυτω Marc. 1, 27. συνζητειν αυτους 7, 24. ηδυνασθη 8, 28. οτι accedentibus Copta et Syra 8, 36. κερδησαι et ζημιωθηναι 8, 37. δοι 9, 29. εν προσευχη sine και νηστ. accedente it[1] 9, 47. σε εστιν 12, 17. εξεθαυμαζον 13, 7. δει sine γαρ accedente Copta 14, 46. επεβαλαν Lucae 3, 31. ναθαμ accedentibus it[2] 3, 32. ιωβηλ et σαλα 5, 12. ιδων δε accedentibus it[1] Copta 6, 5. του σαββ. sine και acced. verss. aliquot 6, 30. omittit τω 6, 33. και γαρ εαν 6, 45. της καρδιας sine αυτου 8, 30. οτι εισηλθ. δαιμ. πολλ. εις αυτον accedentibus verss. aliquot 8, 35. εξηλθεν 9, 50. υμεις 9, 52. ως pro ωστε 14, 31. βουλευεται accedentibus it[4] 18, 29. εινεκεν 19, 48. εξεκρεματο Iohannis 1, 27. οπισω sine αυτ. εστ. ο accedente Orig.[bis] 2, 20. οικοδομηθη 4, 5. τω ιωσηφ 4, 15. διερχ. accedente Orig. 5, 39. ερανατε 18, 22. εις παρεστηκως των υπηρετ. accedentibus it[3] vg Cyrillo 19, 39. ελιγμα 19, 41. ην τεθειμενος accedente Cyrillo 20, 31. πιστευητε Rom. 2, 16. δια χριστ. ιησ. 1. Cor. 7, 17. μεμερικεν 10, 9. απωλλυντο 11, 26. αχρι ου Gal. 3, 7. υιοι εισιν acced. Chrys. aliis 4, 9. δουλευσαι Eph. 5, 19. τη καρδια Col. 1, 16. omittit τα tertio loco, acced. Or[3] aliis 2, 2. παν πλουτος acced. Clem. 1. Thess. 3, 1. ηυδοκησαμεν Actorum 1, 5. εν πνευμ. βαπτ. 2, 26. μου η καρδ. accedente Clem. 4, 18. καθολου sine το 4, 30. εκτεινειν σε 5, 31. του δουναι accedente Chrys. 6, 3. επισκεψ. δε 8, 18 omittit το αγιον acced. Sahidica et Constitutionibus 9, 22. ιουδαιους sine τους 13, 10. του κυριου 14, 8. αδυνατος εν λυστρ. 15, 17. ποιων accedentibus Latinis 28, 13. περιελοντες 1. Petr. 1, 6. ει δεον acced. Clem. 2. Petr. 2, 19. omittit και. Inprimis vero hac in re magni momenti sunt aliquot loci ubi soli Sinaiticus et Vaticanus vitiosum aliquid habent, ut Marc. 4, 8. αυξανομενα pro -μενον et 4, 21. υπο λυχν. pro επι λυχν. 2. Petr. 2, 13. αδικουμενοι pro κομιουμενοι. Huc certe videtur etiam pertinere Marc. 15, 21. εγγαρευουσιν, quam formam Sinaiticus etiam Matth. 5, 41 habet. Simili ratione utuntur Marc. 12, 4. ubi cum BL communia habet εκεφαλιωσαν et ητιμασαν Act. 3, 7. σφοδρα cum A 1. Petr. 1, 23. εκ φθορας φθαρτης cum AC Hebr. 11, 35. γυναικας cum AD Apoc. 9, 10. ομοιους cum A.

Rursus cum BD habet[1]: Matth. 12, 22. κωφον 12, 25. ειδως δε sine ο ιησ. 12, 36. ο sine αν 13, 44. ομοια sine additamento 15, 39. μαγαδαν 18, 31. ιδοντες ουν 26, 53. πλειω Marc. 4, 28. ειτεν σταχυν 13, 22. τους. Item cum BL: Matth. 13, 10. ειπαν 21, 18. επαναγαγων 22, 10. νυμφων Luc. 17, 2. μικρ. τουτ. ενα 17, 11. δια μεσον 18, 23. εγενηθη 19, 38. εν ουραν. ειρην. accedente Orig. 22, 20. και το ποτηρ. ωσαυτ. 22, 55. περιαψ. acced. Euseb.[bis] 22, 66. ειπον pro ειπε 23, 38. επ αυτω sine γεγραμμ. et ο βασ. τ. ιουδ. ουτ. Item cum B et alio socio: Matth. 7, 6. εκ τ. οφθ. σου την δοκ. cum BC 11, 9. προφητην ιδειν cum BZ 12, 4. εισηλθεν et εφαγον cum B et minusculo 13, 29 ο δε φησιν cum BC 17, 22. συστρεφ. cum B 1. Act. 4, 8. omittit του ισρ. cum AB Cyrillo 15, 23. δια χειρ. αυτ. sine ταδε cum AB 25, 22. προς τον φηστον sine εφη et κυριον sine ο δε cum AB 28, 15. ηλθαν cum BI Iac. 2, 26. χωρις εργων cum B 69 Orig. 1. Cor. 1, 25. omittit εστιν cum B 67** et Tertulliano[bis] 7, 31. τον κοσμον cum AB Gal. 3, 28. απαντες cum AB Eph. 4, 18. εσκοτωμενοι cum AB et Athan.

Cum D solo: Matth. 5, 13. το αλα et 22. ραχα 9, 5. αφιονται 9, 28. οι δυο τυφλοι 24, 21. ουκ εγενετο accedentibus Euseb. et Chrys. 24, 24. πλανηθηναι Marc. 4, 36. πλοιαρια ησαν 9, 12. αποκαταστανει 16, 6. omittit τον ναζαρηνον Luc. 5, 3. εν τω πλοιω εδιδ. 10, 19. ουδεν υμας αδικησει 24, 19. εν λογ. και εργ. acced. Severiano Ioh. 1, 15. omittit λεγων 4, 14. ο δε πινων acced. Euseb. 4, 17. εχεις pro εχω acced. Heracleone 4, 24. προσκυν. δει, ibidem omittit αυτον acced. Heracl. 4, 25. αναγγελλει 4, 38. απεσταλκα 4, 42. σην μαρτυριαν 6, 7. αποκρινεται 6, 11. ευχαριστησεν και εδωκεν 6, 33. ο του θεου 6, 46. εωρακ. τον θεον 8, 16. om. πατηρ 8, 57 et 9, 28. ειπαν 9, 19. ει ante ουτος εστιν 14, 7. γνωσεσθε Hebr. 10, 37. χρονισει 11, 33. ηργασαντο 13, 15. om. ουν

Cum L solo in evangeliis: Matth. 6, 26. εις τας αποθηκας 18, 17. ειπον acced. Orig. 19, 18. ποιας φησιν Marc. 12, 34. om. ει Luc. 8, 8. και εφωνει (pergit και επ. cum solo D) 9, 14. ησαν δε 14, 8. η κεκλημ. αυτου. Cum X solo: Matth. 17, 15. omittit κυριε. Cum C solo: Matth. 10, 15. γη γομορρας Marc. 4, 10. ηρωτουν. Cum A solo: Luc. 6, 8. τω την ξηραν Act. 14, 3. μαρτ. επι τω 28, 20. εινεκεν Apoc. 9, 8. ειχαν 9, 14. λεγοντα 9, 21. πονηριας pro πορνειας 11, 11. ημισου 17, 3. ειδα 20, 11. του προσωπου 21, 10. επι ορος 22, 5. επ αυτους et ουκ εξουσιν χρειαν accedentibus verss. et patribus.

Denique cum duobus ex sociis Vaticani: Matth. 13, 11. om. αυτοις cum CZ acced.

[1] Ea quae supra iam exscripta sunt, primo omnium loco ponenda, in hac sectione non repetemus.

[2] Saepe accedit veterum interpretum aliquot testimonium, quod non adscribemus.

Euseb. et Chrys. 17, 27. σκανδαλιζωμεν cum LΞ 19, 14. προς εμε cum LΔ 19, 26. δυνατα παντα cum LΞ 21, 28. προσελθων cum LΞ 21, 45. ακουσ. δε cum LΞ Marc. 1, 24. οιδαμεν cum LΔ acced. Orig. Euseb. aliis 3, 25. η οικια εκεινη σταθηναι cum CΔ 4, 18. επι τας cum CΔ 8, 8. σφοδρα cum ΔD Luc. 19, 9. omittit εστιν cum LΞ 19, 29. βηθανια cum D 131. Act. 2, 26. ελπιδι cum CD 8, 13. εξισταντο cum CD 9, 12. omittit εν οραμ. cum A et Londin.tisch 13, 39. om. και cum AC 14, 25. εις την (την cum solo Londin.tisch) περγην cum A Lond. 2. Thess. 3, 6. παρελαβοσαν cum AD acced. Basilio Hebr. 11, 32. με γαρ cum AD 11, 34. μαχαιρης et εδυναμωθ. cum AD Apoc. 4, 3. ιερεις cum A 28.

Si quid est quod probet, Sinaiticum codicem et Vaticanum ab antiquiore communi fundamento pependisse, Sinaiticum vero vel propius ab eo abfuisse vel arctius ei adhaesisse, certe illud est quod non modo plurima soli communia habent, non exclusis quae miro vitio laborant, sed etiam tot lectiones quas unus aut alter ex iis qui maxima cum Vaticano cognatione continentur invito ipso conservavit, in Sinaitico coniunctae repertae sunt. Qua in re etiam illud grave est, quod ubi tacet Vaticanus, ut in extrema parte epistulae ad Hebraeos et in apocalypsi, Vaticanam rationem in sociis tantum superstitem etiam Sinaiticus tuetur.

Alterum genus ex iis Sinaiticis lectionibus constitutum est, quas a codd. ABCDL simillimisque antiquissimis desertas gravissimorum patrum vel interpretum confirmat auctoritas. Praeter illa quae sectione priore prolata sunt, huius generis exempla haec sunt.

Matth. 5, 28. επιθυμησαι sine αυτην aut αυτης cum 236. Clem. Orig.ter aliis 6, 32. ο πατ. υμων sine ο ουρ. cum minusc. duobus Syr.cur itplur vg Clem. Cyp. aliis 15, 31. om. κυλλους υγιεις cum minusc. duobus Copt. Syr.cur ital. etc. 23, 6. τας πρωτοκλισιας cum minusc. aliquot itplur Syr.cur aliis Basilio 26, 65. ιδου pro λεγων cum Syra aliis 28, 15. εφημισθη cum Δ aliis paucis et Orig.bis Marc. 1, 1. om. υιου θεου cum minusc. duobus Irenaeo Orig.ter Bas. aliis 4, 37. om. ωστε ηδη etc. cum e 9, 6. τι αποκριθη cum Orig.bis 10, 30. om. οικιας usque διωγμ. cum k Luc. 9, 10. om. πολεως καλουμ. βηθσ. cum minusculis et Syracur 12, 8. om. των αγγελων cum 259. et Marcione apud Epiph. Ioh. 1, 6. ην αυτω ονομα cum Irenaeolat (D* ην ονομ. αυτω) 2, 12. om. και οι μαθ. αυτου cum minusc. ital.e Armena 3, 5. των ουρανων cum minusc. paucis Docetis apud Hippolytum Origlat aliis 4, 42. αληθως ουτ. εστιν cum Syr.cur aliis et Orig.bis 4, 50. τω λογω του ιησου cum Syracur 6, 51. εκ του εμου αρτου cum a e Cypr. Hil. 7, 39. πνευμα sine αγιον aut δεδομενον cum K Π minusc. duobus Orig.quater aliis 10, 4. τα ιδια cum Goth. Ioh. 21, 25. omittit ipsa prima manus (cf. commentarium) versum accedente solo codice 63. Vix alia lectio maioris ponderis inveniri poterit. Quem enim versum testes antiquissimi nostri omnes quum codices tum interpretes et patres, ducibus Origeneˢᵃᵉᵖⁱᵘˢ et Pamphilo, pro Iohanneo probant, quamvis ex longo inde tempore, testibus variis scholiis, in dubium vocaverint maximeque nostra memoria multi pari subtilitate iudicii atque veneratione sancti evangelistae conspicui reprobaverint, cum codex Sinaiticus rarus apostolicae veritatis vindex testatur in antiquiore exemplari, unde descriptus est, locum non habuisse. Quod testimonium nequaquam eo debilitatur quod is qui collegae scripturas recognoscebat et ad aliud exemplar corrigebat cum versum curiose supplevit: multo enim ante quam scriberetur codex pervulgatum illum iam fuisse notissimum certissimumque est. Hebr. 4, 2. συγκεκερασμενος cum 17. aliis d e Syr. Cyrillo 11, 13. κομισαμενοι (testibus reliquis προσδεξαμενοι et λαβοντες praebentibus) cum 17. aliis Chrys. 13, 25. omittit αμην cum 15. et fuldensi Act. 27, 16. κλαυδα cum Londinensi et aliis quinque Copta Syr.post et Syr.post Graece in margine 1. Petr. 2, 24. ου τω μωλωπι αυτου cum o et minusc. plurimis Apoc. 5, 1. εμπροσθεν και οπισθεν cum Origene 12, 5. αρσενα cum minusculis aliquot Hippol. Methodio.

Restant exempla lectionum tertii generis, quas Sinaiticus sine ullo socio tuetur. In his magnum est bonitatis discrimen. Sunt enim quae invitis omnibus maxima probabilitate commendentur, rursus aliae nullam commendationem habent nisi quod in codice omnium antiquissimo scriptae sunt. Etiam hac in re insignis similitudo Sinaiticum inter et Vaticanum codicem intercedit. Pro singulari vero horum librorum praestantia, quos saepissime uno atque altero socio accedente verum tenere vix dubium est, nec raro a codicibus reliquis omnibus destitutos antiquissimorum patrum auctoritas a suspicione arbitrii vindicat, probe videndum est ne quicquam, licet soli praebeant, temere abiiciamus.

Solus igitur habet Matth. 8, 28. γαζαρηνων 11, 8. ανθρωπον ιδειν pro ιδειν ανθρωπον 21, 17. εξηλθεν sine εξω της πολεως 22, 39. δευτερα ομοια (Vaticanus δευτερα ομοιως, reliqui δευτερα δε ομοια) 23, 4. φορτια μεγαλα βαρεα (reliqui βαρεα και δυσβαστακτα, βαρεα, δυσβαστακτα, δυσβασ. βαρ.) 26, 50. ο δε sine ιησους 26, 61. ειπαν 27, 31. εκδυσαντες et ενεδυσαν (i. e. εκδυσαντες et και ενεδυσαν, reliqui εξεδυσαν et και ενεδ.) 28, 5. ειπεν sine ταις γυναιξιν 28, 13. λεγοντες οτι ειπατε οι (reliqui λεγ. ειπατε οτι οι) Marc. 1, 39. ηλθεν κηρυσσειν (reliqui ην κηρυσσων, ut et Sinait.** ηλθεν κηρυσσων) 6, 29. ηραν το πτωμα αυτου και εθηκαν αυτον (pro αυτο, sed multi αυτο) Marc. 8, 7. και ευλογησας αυτα παρεθηκεν. Ita vix dubium est scripsisse evangelistam. Mira vero est in ceteris libris scripturae varietas: και ταυτα ευλογησας [alii αυτα ευλ., ευλ. αυτα, ευλ., D ευχαριστησας] ειπεν [D εκελευσεν, item it vg] παρατιθεναι [alii παραθειναι, παρατεθηναι, παραθετε] και αυτα [alii και ταυτα ante παρ., D και αυτους ante εκελευσεν, alii om. κ. αυτ. Etiam additur τω οχλω] 12, 42. μια γυνη χηρα Luc. 6, 42. πως δε (alii πως, και πως, η πως) 8, 42. οτι θυγ. μονογ. αυτω sine ην 10, 6. επαναπαησεται pro επαναπαυσεται 13, 4. επεπεσεν pro επεσεν Ioh. 1, 25. και ειπον αυτω sine και ηρωτ. αυτον 1, 32. ως περιστ. καταβαινον εκ του ουρ. και μενον pro καταβ. ως περ. εξ ουρ. και εμεινεν 1, 34. εστ. ο εκλεκτος του θεου pro εστ. ο υιος τ. θ. 1, 37. ηκουσαν αυτου pro και ηκουσαν αυτου 4, 27. επηλθαν (B ηλθαν, reliqui ηλθον) 5, 2. το λεγομενον pro η επιλεγομενη vel η λεγομενη 5, 5. ανθρωπος pro ανθρ. εκει vel εκει ανθρ. 6, 23. εκ τιβεριαδος εγγυς ουσης οπου pro εκ τιβ. εγγυς του τοπου οπου 6, 27. εργαζεσθε βρωσιν μη την απολλυμενην pro εργ. μη την βρ. την απολλ. 7, 22. θαυμαζετε μωυσης omisso δια τουτο, in quo explicando tantopere ac tamen, opinor, frustra laboraverunt 7, 27. γινωσκει αυτον ποθεν εστιν pro γιν. ποθ. εστ. 7, 39. δεδοξαστο 7, 44. εβαλεν αυτω τας χειρας pro εβ. επ αυτον τ. χ. 7, 50. λεγ. νικοδ. πρ. αυτ. praetermissis rectissime verbis quae mirum in modum fluctuant et ex 19, 39. huc illata sunt: ο ελθ. προς αυτον προτερον 8, 12. εχει pro εξει 8, 57. εωρακεν σε pro εωρακας (Vaticanus εωρακες) 9, 10.

ελεγαν 10, 24. ειπον pro ειπε 9, 22. 26. 11, 12 et 37. ειπαν 11, 43. εκραυγαζεν pro εκραυγασεν 13, 24. πυθεσθαι τις αν ειη περι ου ελεγεν και λεγει αυτω ειπε. Hoc loco alii πυθεσθαι τις αν ειη (ο addit ουτος, alii tantum πυθεσθαι), alii και λεγει αυτω ειπε 19, 38. αυτον pro το σωμα αυτου, το σωμα του ιησου, αυτο etc. Rom. 8, 27. ἐραυνων. Quae forma quum ubique in Nov. Test. testata esset, hoc solo loco nondum habebat testem. Act. 7, 43. ρομφαν (B ρομφα, alii ρεφαν, ρεμφαν, ρεμφα etc.) 1. Petr. 2, 15. φιμουν et 5, 8. καταπιν 1. Ioh. 5, 16. αιτησεις et δωσεις Apoc. 1, 1. αγιοις pro δουλοις et ιωανει pro ιωαννη 3, 16. παυσαι του στοματος σου pro μελλω σε εμεσαι εκ του στομ. μου 19, 13. ρεραμμενον pro βεβαμμενον (sed minusc. aliquot Orig. Hippol. ερραντισμενον et Orig.semel ερραμμενον).[1]

Quibus omnibus expositis vix opus erit ut addam, quem codici Sinaitico in numero praestantissimorum codicum nostrorum deberi locum putem. Dignus videtur qui omnium principatum teneat. Quod etsi non ita intellegi velim ac si ubique, exceptis vitiis manifestis, textum sacrum ad normam codicis Sinaitici edi iubeam, tamen nullus alius est quo tutiore fundamento textus constituendi uti possimus. Ut igitur in re exercenda critica primas huic libro partes deferendas, ita pristinam ex eo textus sacri integritatem non repetendam duco nisi adhibitis simul diligenter religioseque Vaticano simillimisque summae antiquitatis testibus reliquis. Illud mihi quidem minime dubium est, thesaurum Sinaiticum providente Deo ex tenebris protractum lucique redditum litterarum sacrarum studiis profuturum esse plurimum destinatumque ad id esse ut, quicunque quae litteris consignarunt sanctissimi apostoli aeternae salutis veritatisque divinae caussa maximi facimus, quum salutis tum veritatis certiores fieremus.

Quae autem de Novi Testamenti textu dicta sunt, ea nec a Veteris Testamenti libris sunt aliena, ad quos ei nitori reddendos, quo utebantur ante oculos apostolorum positi eorumque in manibus versati, codex Sinaiticus multum valebit. Etiam ab hac parte magnam codicum Sinaitici et Vaticani similitudinem esse, iam e fragmentis sedecim ante annis editis didicerunt viri docti. Rursus facile multa ex libris iis qui nunc prodeunt afferri possunt, quibus discedens a Vaticano antiquissimorum patrum confirmatur auctoritate. Totum quidem textum ab eo diversum praebent libri Tobith et Iudith, non minime commendatum consensione interpretum antiquissimorum Syri et Itali. Passim etiam quae posterioribus curis accesserunt ad textum continua serie exhibitum, ut in libro Iob, magni facienda sunt suumque in criticis locum habebunt.

Duo denique libri ad calcem Novi Testamenti additi, quos tanto veteres honore dignos habuerunt ut in ipsum canonem reciperent, splendida thesauri Sinaitici sunt ornamenta, ac vero ipsarum erunt litterarum. Alter, quem Barnabae nomine doctores ecclesiae a secundo inde saeculo ornarunt, nunc demum litteris Christianis redditus est: quae enim Latine tantum huc usque legebantur, nec integra erant ac passim ne intellegi quidem poterant; pars vero ex Graecis hausta codicibus plurimos locos corruptos habet. Adiunctam Barnabae epistulae priorem Pastoris partem quis nobiscum non laetatus est. Textum illum quidem ex Atho monte Lipsiam perlatum ut ab ea suspicione liberavit, qua e Latinis potius media aetate repetitus quam ex ipso fonte Graeco fluxisse videbatur,[2] ita luculenter docet quantopere ab antiqua ille absit veritate ipsique veritati locos plurimos restituit. Itaque his quoque monumentis venerandis, quae ecclesiae primo aevo florenti debentur, ex diuturna oblivione in lucem vindicatis Deus O. M. litteras Christianas insigni beneficio augeri voluit.

[1] In brevi hac de lectionibus codicis commentatione si quid alicui non satis perspicuum erit, velim adeat editionis nostrae Novi Test. septimae commentarium, quem in notandis auctoritatibus secuti sumus.

[2] Ceterum a quibus verbis gravissimum habebamus originis Latinae argumentum: *κανονιζομενος ει περι τας γραφας*, ea revera e Latinis in textum Graecum Lipsiensem irrepsisse, Sinaitici codicis confirmat auctoritas, consentiente qui nuper prodiit interprete Aethiope.

COMMENTARIUS,

IN QUO OMNES CORRECTORUM ANTIQUORUM SCRIPTURAE RECENSENTUR,

ADDITIS ALIIS NONNULLIS NOTATU DIGNIS.

I.

Membrana exterior. Pleraque quae hac pagina correcta sunt, ᴧ correctori debentur. Is enim numero 1. addidit του ελαιου, item num. 2. κατα σαββατον et num. 3. οι, num. 4. ο articulum puncto superimposito improbavit, num. 5. pro κα reposuit και, num. 6. εν μεσω των αδελφων αυτου adscripsit, numeris 8. 9. 10. quum uncis circumscripsit tum punctis notavit verba per incuriam repetita, num. 11. ex ου fecit ο, num. 14. post και την addidit κεφαλην. Numero vero 12. ipse primus scriptor, quod non dubium est, α obelo notavit supra posito ου, ita ut τους pro τας reponeret. Numeros 7 et 13. adpinximus ut indicaremus intactas mansisse scripturas, et priore quidem loco ιωναθαν, μαχειβαλ μαχειβααλ, altero ειδωλοις αυτους.

I.ᵃ

Membrana interior. ᴧ corrector hos duodecim locos tractavit: num. 1. adscripsit εν, num. 2. αυτο, num. 4. reposuit ποιμενας pro πενιας, num. 5. εση et num. 7. αυτου addidit, num. 8. ιεβους pro ιαβους scripsit, num. 9. expunxit τον, item num. 10. μετ αυτου, numeris 11. et 15. reposuit τριακοσιους, num. 12. supplevit verba: κ διερρηξαν etc. (scriptum est ut edidimus βαιθλαμ), num. 13. τουτων pro τουτο reposuit. Ipsa vero prima manu num. 6. pro ωλμ repositum est ωλ et num. 14. εβουλετο pro ηβουλοντο. Quae num. 3. vitiose scripta sunt, κα et βασιλευσ, correctorem non invenerunt.

II.

Membrana exterior.

Numero 1. ιδε : c^{a} ιδου

2. Punctum super ν iam ab $ᴧ^{b}$ vel ab ipso scriptore positum videtur. Quod paene exstinctum est, id casu non consilio accidisse apparet. Repositum igitur est επεζητηθη pro επεζητηθην.

3. ιδε : c^{a} ιδου

4. μου : c^{a} addidit αι

5. παρηκουσα : c^{a} παρηκουσαν

6. αληθειαι : c^{a} addidit αι οδοι σου

7. μου : c^{a} addidit κ των πρων μου

II.ᵃ

Membrana interior.

Numero 1. υιον : c^{a} υιον σου

2. αδους : c^{a} αδου

3. αυτην : ipse scriptor litteris εκ inter versus adpictis reposuit εκαυτην, praeterea que αυτω γυ in rasura scripsit.

4. σαρρα : ipse scriptor supra versum addito ν reposuit σαρραν, intactum relinquens τη quod sequitur. c^{a} vero pro τη reposuit την του.

III.

Membrana interior.

Locus cui numerum 1. adpinximus iniuriam passus est. Videtur aetate fere media scripturae atramenti aliquid incidisse et imperite sublatum esse. Imperitius vero etiam αυτ et σαγ litterae super lituram instauratae sunt.

Num. 2. ipsa se prima manus emendavit, quum omisisset ut videtur verba εις γαββας κειται γαρ εν τω ορει εκβατανα. Scripserat igitur, nisi fallor:

ΕΚΒΑΤΑΝΩΝΕΝΜ·
ΣΩΤΩΠΕΔΙΩ

Intellecto vero errore pro ΝΜ· reposuit ΙΣΓΑΡΡΑΣ etc. quemadmodum edidimus, nisi quod in margine litteras typis nostris multo minutiores adhibuit.

Num. 3. αυτους : c^{a} αυτος

III.ᵃ

Membrana exterior.

Num. 1. τ punctum edidimus accurate ut in codice est, ipsa prima manu adpositum.

2. Post ως, quam vocem idem fere spatium praecedit atque expressimus paucis ante versibus inter ημων et αργυριον, c^{a} addidit γαρ.

3. inter και et εκραξε c^{a} addidit απο του φοβου

IIII.

Membrana exterior.

Num. 1. η καρδια : c^{a} την καρδιαν, sed litterae quibus facta est correctio, τ et duplex ν, rursus exstinctae videntur.

2. αυτου : αυ punctis notatum est ab eodem correctore, nisi forte is instauravit iam ante ipsum posita.

3. καπνισον : c^{a} καπνισαι

4. Signum spiritus ipsius scriptoris est, per totum codicem rarissimum. Formam accurate expressam vide in tabula XIX.

5. αυτην : αυ ipsa prima manu punctis notatum. c^{a} etiam obelos per utramque litteram duxit.

6. εδθη c^{a} εδοθη

7. προ ου : ipsa prima manu emendatum est ΠΡΘΟΥ

IIII.ᵃ

Membrana interior.

V.

Membrana interior.

Num. 1. το φαγειν : c^{a} του φαγειν

V.ᵃ

Membrana exterior.

Num. 1. κ ante κοιμαι ipsa prima manu suppletum videtur.

2 et 3 : sic in codice est.

VI.

Membrana exterior.

VI.ᵃ

Membrana interior.

Num. 1. σου : c^{a} addidit κ η μηρ σου

2. αχειαρ : c^{a} αχιαχαρος

3. 4. οι εξαδελφοι : c^{a} ο εξαδελφος. Praeterea γαμβροντες a c^{b} punctis notatum erat, sed rursus exstincta sunt.

5. οτε : ipse scriptor videtur supplesse.

Column. 3. versu ab imo 9. litterae γω in εγω eadem manu qua III, 1. αυτ et σαγ rudi modo instauratae sunt.

Ceterum per totam hanc paginam saepius quam alibi mediis textus verbis spatii aliquid relictum est, quamvis passim dubium sit utrum revera ad distinguendum valeat an a licentia profectum sit scriptoris modo arctius scribentis modo latius. Aliquoties medio spatio manus posterior punctum addidit. Qua

in re scriptorum alterum ab altero discernere difficile est.

VII.

Membrana interior.

Numero 1. (col. 4. exeunte) ου μηθεν : c^a ου μη ουθεν

VII.*

Membrana exterior.

Num. 1. ρ quo fit προσωπον ex ποσωπον ipsa prima manu suppletum videtur.

2. πακιδος : c^a παγιδος

3. πακιδα : c^a παγιδα

4. αχιαχαρος : c^a ναβουχοδονοσορ κ ασουηρος

5. αθουρειας : c^a ασουηρος. Sic: ΛΟΟΥ ΡΕΙΑΣ (οε supra scr.), ita ut ο deletum sit, quamvis idem corrector paullo ante scripsisset ασουηρος.

VIII.

Membrana exterior.

Quum primum instituebamus editionem, non in animo erat arabescos quos vocant singulis libris adpictos accurate exprimere, sed simpliciores tantum aliquot formas promiscue ponere. Hinc factum est ut quae ad exitum librorum Tobith et Iudith in codice adpicta sunt ab editis differant. Omissa supplevimus tabula XIX. Mutato vero consilio inde a primo Maccabaeorum libro codicis picturae ubique fideliter redditae sunt.

Num. 1. εκβατανα και : c^a ΕΠΙСΕΚΒΑΤΑ ΝΑΚΑΙ (ωΝ supra scr.), rursus vero επ et puncta exstincta sunt, ita ut nunc εκβατανων και supersit.

2. εβδομηκοντα . c^a addidit και το πλατος αυτου πηχων ν

3. διεγηγερμενας : c^a διεγειρομενας

4. 5. εις εξοδον των αρματων αυτων : c^a εις εξοδους δυναμεων δυνατων αυτου και αρματων αυτου και εις διαταξεις των πεζων αυτου

6. εις πολεμον : c^a προς αυτον εις πολεμον

7. οι κατοικουντες τον : c^a οι κατοικ. την ορινην και παντες οι κατοικουντες τον

9. υδασπην : c^a υδασπ. και τα παιδια

9. αριαχ : c^a αριωχ

10. χελκαιουδα : σ puncto notatum et α posterius erasum est. Hinc c χελκουδ habet.

11. βασιλευς : c^a ο βασιλευς

12. ιαμνιαν : c^a την περσιδα κ ιαμν.

13. κατοικουντας : c^a addidit προς δυσμαις και

14. λιβανον : c^a addidit κ δαμασκον

15. τους : intactum mansit

16. εις : c^a punctis superimpositis improbavit

17. ελθειν : c^a addidit επανω τανεως και μεμφεως και παντας τους κατοικουντας την αιγυπτον εως του ελθειν

18. ΠΑСΑΝ : sic. Utraque signa a c^b posita videntur, nec aliud sibi voluit nisi vocem delendam esse. Neque enim solis punctis παν substitutum dixerim.

19. εκδικησει : c^a εκδικησειν

20. και δαμ. και : c^a addidit συριας κ

21. και : c^a punctis notavit

22. τα χρηματα : c^a παντα τα αρματα

VIII.*

Membrana interior.

Num. 1. σιβυναις : c^a ζιβυναις

2. εικοσι : c^a addidit κ πληθος

3. χειλιαδες : c^a χειλιαδας

4. ετοιμαζειν : c^a addidit μοι

5. αυτους : c^a σοι εαυτους

6. λελαληκα : c^a οσα λελαληκα

7. σατραπας (primum α prima manu suppletum) : c^a addidit και επιστατας

8. αργυριον : c^a addidit εξ οικου του βασιλεως πολυν (sic) σφοδρα

9. απηλθον : c^a εξηλθον

10. βαιτουλια : c^a βεκτιλεθ

VIIII.

Membrana interior.

Num. 1. μακα : c^a ισμαηλ

2. τους : prima manu vel ab $\aleph^b$ correctum est σους, quod etiam c^a confirmavit. Praeterea c^a pro αμμαν voluit τους κιναιους και παντας τους κατοικουντας ιεμναα.

3. ειδε : c^a ιδου

4. παρακειμεθα : c^a παρακειμεθα

5. ενωπιον : c^a addidit σου

6. : hunc versum cum tribus iis qui sequuntur (εν προσωπω σου usque προ προσωπου σου) ad utrumque marginem c^a uncis circumscripserat, sed omnia signa rursus exstincta sunt.

7. χρησαι : c^a addidit ημιν

8. συνμαχιαν : repositum est συμμαχιαν, ab $\aleph^b$ ut videtur

9. αυτης : c^a αυτων

10. εσδρηλων : c^a εσδρηλων

11. δωταιας : c^a addidit η εστιν απεναντι του πριονος του μεγαλου της ιουδαιας

12. κωλα : c^a κωνας

13. αρκτουσια : c^a αισωρα vel potius, nisi forte α extremum per incuriam signo caret, αισωραα

14. ηκουσεν : c^a εγραψεν

15. 16. εν ταις ημεραις : ab $\aleph^c$ substitutum est : ος ην εν ταις ημεραις εκειναις εν. Vide tabulam XIX.

VIIII.*

Membrana exterior.

Num. 1. αναβασεως : c^a διαβασεως

2. αυτων : c^a addidit νηστια μεγαλη

3. παιδια : c^a addidit οι κατοικουντες εν ιλημ

4. κληρονομιας : c^a addidit αυτων

5. εισιδεν : c^a ιδεν

6. ιερευς : c^a addidit ο μεγας

7. κατα : $\aleph^c$ (ut videtur) και

X.

Membrana exterior.

Num. 1. οτε : c^a οτι

2. 3. και ειπαν : c^a και περιεστως κ ειπαν

4. αχιωρ : c^a addidit εναντιος (scripserat ν, sed ipse statim reposuit σ) παντος δημου αλλοφυλων

5. τοις : c^a ταις

X.*

Membrana interior.

Num. 1. υιων et ι quod sequitur ipsa prima manu rescripta sunt. Item num. 2. γ in πηγας

2. σ ipsa prima manu suppletum est

4. γοθονιου : c^a γοθονιηλ

5. ο του σελλημ : c^a υς μελχιηλ

6. πρεσβυτερους : c^a addidit της πολεως, non deleto (per incuriam) ισραηλ quod sequitur.

7. ε prima manu in litura rescriptum

8. οκτω : c^a ρκ

9. αβελβαιμ : c αβελβαιμ

10. αυτου : c^a αυτων, additis his : και ανακαυσαντες πυρας επι τους πυργους αυτων

11. την : c^a ολην την

XI.

Membrana interior.

Num. 1. ισλ : c^a addidit οι ησαν εκ βαιτουλουα

2. ανηρ : c^a ως ανηρ

3. μουχμουρ : c^a ΜΟΥΧΜΟΥΡ (κ supra scr.). Voluit ut videtur μοκμουρ.

4. Pro ΛΑ videtur primum ΑΛ inepte scriptum fuisse.

5. 5. εξελιπεν παντας τους κατοικουντας : c^a εξελιπαν των κατοικουντων (sic)

6. ηθυμησεν : c^a ηθυμησαν

XI.*

Membrana exterior.

Num. 1. ομων : $\aleph^b$ ex duplici puncto videtur η finxisse, ut scribendum significaret ημων.

2. απεστειλεν : c^a απεστειλαν

3. Collocata sunt οιου et υιου extremis duobus versibus ut in codice est. Debebant vero etiam σαλαμιηλ et σαρισαδαι similiter lineam excedere.

4. αυτου : c^a addidit και επεσεν επι την κλινην αυτου

5. εμεινεν : c^a εμενεν

6. αυτη : c^a αυτης

XII.

Membrana exterior.

Num. 1. Verba αναμεσον του prima manu in rasura iusto spatio rescripta sunt.

2. ιστατε : c^a ιστασθε

3. αναμενοντες : ε secundum a c^a instauratum et amplificatum est

4. 4. απο του εθνους : c^a το εθνος scribi voluit, sed εθνους per incuriam intactum reliquit.

5. αυτων : c^a ημων

6. παρα : c^a δια

7. ετασμον : c^a addidit της

8. σημερινη : c^a σημερον

9. ον : spiritus ipsius primi scriptoris est. Vide tabulam XIX.

10. αποστειλαι : c^a addidit κς

11. ετον : c^a εις πλησμονην in margine adscripsit, non mutatis iis quae sequuntur: εις πληρωσιν.

XII.*

Membrana interior.

Num. 1. εν ταις : c^a addidit ε (i. e. πεντε).

2. επεθετο : c^a εθετο

3. εδωκας : c^a addidit αρχοντας

4. απαιτη minutis litteris ipsa prima ut videtur manus adscripsit.

5. γνωσω : α prima manu rescriptum. Videtur antea ε scriptum fuisse.

6. inde a θρονων αυτων usque διενοηθην quae scripta sunt omnia corrector c^a signis ut improbanda circumscripsit.

7. 7. το κρατος ουδε η δεξια σου : c^a το κρ. σου ουδε τη δυναστεια σου

XIII.

Membrana interior.

Num. 1. ειδησαι : c^a ειδεναι σε

2. της : σ in litura prima ut videtur manu rescriptum

3. απαντησιν : $\aleph^b$ (nisi forte ipse scriptor) απατησιν correxit

4. ιλμ : c^a ιλημ

5. παραδωσει : c^a παραδωσουσι

6. απελεξαν : c^a επελεξαν

XIII.*

Membrana exterior.

Num. 1. οτι : c^a οτι ου

